EQVITIS POL



Prophetia S. Hyldegardis Brouii T. XV.
Fol. 465.

Saluatores nominantur. ab Equite. fol. 4.

1626

Joannis Broscii Curzelouiensis
Medicinae Doctoris ordinarii
Astrologi. post mortem ipsius
Bibliothecae maioris Collegii in
Academia Cracouiensi. rogat
autem vt omnia quae hic inser
ta sunt, integre ad posteritatem
conseruentur aliequin vnitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.



IX. 10. 1.

00.

Contactus . ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetque plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahrzewii Calisii impressa, in qua locus non exprimitur, scriptum nihilominus ab ipsis Jesuitis confectum sub nomine Zahrzewii. Quae vero conferantur … omnia enim quae in illo contineantur ego audivi ex ore Friderici Szembek Jesuitae, audiverunt et alii. Zahrzewius vero nunquam Cracoviae studuit inter Bursarum consuetudines nullo modo scire potuit aliunde, quam ex relatione Jesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

1 Equitis Poloni actio in Jesuitas prima
2 Spongia contra Equitem Rasa
3 Actio Arnaldi in Parlamento Parisiensi
4 Praeparatio de indicendis
5 Ad Paulum quintum pro Republica Veneta Oratio
6 Gravis deliberatio de compescendo crudeli contra Jesuitas furore
7 Odpowiedz na Artykuł przeciwko Jezuitom Stary
8 Responsio ad reprotestationem Jesuitarum
9 De Ignatio Loiola Zahrzewii Calisiensis
Proca Dawidowa Zahrzewskiego
10 Objaśnowanie przeciwko Jezuitom stachacza polskiego
11 Tarcza obrony przeciwko proce
12 Vindiciae adversus Zahrzewski
13 Consultatio conciliii Zahrzewski
14 Exauctoratio Borussia stylo durissimo
15 Gratis, Przegrawiony, Consens.
16 Epistola cuiusdam ad quendam
17 Ad Senatores Regni Poloniae Scripta Jesuitarum
18 Widok Stolicznosciom Jezuickiej S. Xawerego obraz.
Desistentibus anathema
Conservantibus benedictio.

Ioan. Mariana Hispanus Jesuita libro 2 c. 10
Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi
Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate
vix aut alterum eorum non tam vitae integritate
quam malis artibus ambitiosos [illegible] esse perfectos
consideramus. Vide tot. illud caput.

pedagog

N° 1–19. varia

ORATIO, M. ANTONII ARNALDI ADVOCATI IN PARLAMENTO Parisiensi, & anteà Consiliarij ac Procuratoris generalis defunctæ Reginæ matris Regum.

Pro Vniuersitate Parisiensi actrice contrà Iesuitas reos.

Habita IIII. & III. Idus Julias cIɔ. Iɔ. XCIV.

Nunc primùm Latina facta, & missa ad Senatum Populumq; Vilnensem.

LVGDVNI BATAVORVM

Ex Officina Ioannis Paetsij & Ludovici Elzeuirij.

ANNO cIɔ. Iɔ. XCIV.

SENATVI POPVLOQVE VILnensi, in Magno Ducatu Lituaniæ, S. P.

NON omnes auctoritati cedunt, quia certam auctoritatem justamq; non vident satis: Non omnes rationi, quia multis tenebris foris, intus difficultatibus impedita. Exemplis vel pueri doceri possunt. Quapropter exempla rerum in publico exstare necesse est, vt in ea quæ sunt opus omnes facilius integroq; animo consentiant. Si quod autem exemplorum theatrum est hac memoria nostra, ante omnia scitis, viri Amplissimi, id esse Galliam: cuius regnum florentissimum antè, nunc suis propè viribus & alienis artibus attritum est. Artes autem foris tanquam in plantarijs obscuris gignuntur: quæ, si malæ sunt, in alienum agrum facile importantur, educanturq; maximo recipientium malo. Tum si artifices accedunt ad transplantandum commodi, & ad culturam peruigiles, luxuriantur artes illæ & siluescunt adeò, vt natiua semina præfocentur. Hoc Gallia, proh dolor, jamdiu experta est: & propterea hoc ipso anno de nouis hospitibus & inquilinis suis, quos Iesuitas vocant, in summa Regni illius Curia graues exposuit querimonias, quæ auctoritate publica in lucem fuerunt his paucis diebus editæ. Res est gesta in foro Europæ celeberrimo, Parisiensi Curia, ibi oratio edita: ibi priuilegium datum: quorum hic exempla fide opti-

ma curauimus exarari. Hoc exemplum in omneis gentes disseminari interest Reipub. Christianæ, vt omnes videant quibus hospitibus vtantur domi. Quum autem hospites eiusmodi nuper in Rempub. vestram audiui ingressos esse: hoc exemplum recens cùm pro meo in omnes studio, in oculos omnium proferendum duxi, tùm vestro amplissimo nomini, pro meo in vos officio inscribendum. Rogo quicquid à me est officij, id accipiatis in bonam parten: quicquid exempli aut documenti, id in rem vestram vsumq́; veritatis salutarem. Ita vos Deus amet, amplissimi viri, & sit propitius ad salutem vestram, ac vtilitatem omnium.

Lugduno Batavorum, Nonis Nouembribus,
CIↃ. IↃ. XCIV.

QVVM aduersus actiones Parisiensis uniuersitatis quamplurimas Iesuitæ sese perdiu eorum præsidio defendissent, quibus erat usui opera ipsorum, ut immaneis & exitiabiles suos conatus perficerent: tandem celebri vallorum doliarium die, siue Regifugij (id enim diei funesto nomen est inditum) id illi assequuti sunt, ut imperium Lutetiæ furenter exercerent, & in præcipuis quibusque Regni ciuitatibus seditionis incendium excitarent, concionibus suis ac confeßionibus memoriam defuncti Regis proscindentes, & Maiestatem Regis regnantis in hoc tempore, quam omnibus modis quos excogitari pote est, læserunt atrocißime, Postremo autem ut facinora suæ impietatis amplius cumularent, dederunt illi operam ut per quendam Barrerium, qui Meloduni supplicio ultimo affectus est, Rex trucidaretur: sic enim sicarius ille in morte confessus est. Hæc res in causa fuit, cur primum consilium ab Vniuersitate Parisiensi cœptum, ex quo urbs in potestatem Regis reuersa est, fuit huiusmodi; ut Iesuitas ex regno Galliæ exterminari postularent: atque in eam sententiam libellus supplex fuit supremæ Curiæ Parlamenti aduersus illos oblatus. Quum autem illius Curiæ per dies aliquot auctoritatem homines isti neglexissent, tandem Aresto compulsi uel Senatusconsulto facto ante diem Iouis septimum Iulij, anno 1594. quo placuit damnari Iesuitas eremodicij seu deserti vadimonij, die Lunæ proximè sequente, in auditorio publico, sine dilatione ulla, nisi comparerent; fecerunt ut ad diem illum, antequam audirentur causæ, Aduocatus ipsorum in magnam cameram, quam vocant, intromitteretur. Hic exposuit Curiæ, ad defensionem causæ Iesuitarum, qui patrocinium ipsius desiderauerant, cogi se res quamplurimas efferre palàm ijs molestas futuras, qui partibus Regis sese adiunxerant, & seruos Maiestatis illius se profitebantur, ac propterea petere se, ut hæc causa in secreto agatur, ostijs cameræ (ut loquuntur) clausis. Atq; hæc quidem ars Iesuitarum fuit, ut impedirent ne miser populus (quem hactenus carminibus suis vocibusq; fascinarunt) fraudes ipsorum manifestò cognosceret, conatusq; perniciosißimos

ciosissimos de Europa tota sub iugum submittenda Hispaniæ: quæ ars ex improuiso exercita illis tám cessit commodè, ut causam hanc agi in secreto Curiæ placuerit. D. Antonius Arnaldus. pro Vniuersitate dixit. D. Ludouicus Dollæus, pro Curionibus Ecclesiæ Parisiensis Vniuersitati iunctis. D. Claudius Duretus pro Iesuitis. D. Iacobus Ambasianus, Medicus Regius, Rector Vniuersitatis, orationem Latinam contra Iesuitas habuit. D Seguerius pro Generali Regis Procuratore perorauit.

ORATIO

ORATIO D. ANTONII ARNALDI, ADVOCATI IN CVRIA PARLAMENTI pro Vniuersitate Parisiensi agente.

CONTRA Iesuitas reos ad 12. & 13. Iulij, 1594.

AMPLISSIMI viri Domini consultissimi, in actionem institutæ huius causæ sumus ingressuri, protestatione planè contraria illi quàm aduersarijs nostris visum est adhibere. Nam pro eo quod hesterno die exposuerunt passim, nos clausis ostijs in secreto propterea hanc causam acturos esse, quòd se denunciauerint multa contra certos homines dicturos esse, qui ad obsequium Regis reuersi sunt, & qui diebus singulis vitam suam periculis belli pro seruitio eius non dubitant exponere: Nos contrà hoc loco protestamur, nemini aut verbo aut consilio futuram offensioni hanc orationem nostram, qui non sit adhuc hodierno die Hispanus verus & Hispanicarum partium studiosus,

Huius differentiæ, quæ inter has duas Protestationes interuenit, ratio est euidentissima. Nullum enim officium Regi Hispaniæ Domino suo gratius facere Iesuitæ possunt, quàm si eos hoc loco infamauerint, per quos grauissimè fuit irritatus: præsertim quòd ciuitates potentissimas & momenti maximi, reposuerint in manus illius, qui maximus est ipsius hostis, & à quo plus sibi imminere sentit periculi. Ex contrario autem Parisiesis Vniuersitas, filia primogenita Regis (cuius ago causam in

sam in hoc tempore) non potest vllum grauius præstare officium Maiestati eius, quàm vt religiosè legem seruet ἀμνηστίας, cui debemus omnes tranquillitatem præsentem & futuram nostram.

Memini apud auctores me aliquando legere, quo tempore tessera ad pugnam Pharsalicam fuit vtrimq; data, & tubæ crepuerunt, viros aliquot bonos profectos Roma, & Græcos alios ibidem agentes, licet extra belli aleam positos, dum omnia tàm propè à periculo abesse viderent, cum animis suis expendisse in quas angustias Romani illius imperij vires adductæ essent. Etenim arma erant vtrimq; eadem, acies eodem modo dispositæ, signa communia & planè paria, fortissimi quiq; viri, ac velut flos delibatus eiusdem ciuitatis concurrens, magna denique potentia, quæ se ibat perditum, & insigne sui ipsius exemplum statuebat, ex quo intelligamus quantopere natura hominis cœca & furiosa sit, omnisq; rationis expers, quum primùm sese ab vlla violenta perturbatione siuerit abripi. Nam profectò si omnia à se parta Romani regere & moderari arbitratu suo voluissent, iam tum maxima optimaq; terræ & maris pars in potestatem ipsorum deuenerat, cui ius dicerent ex animi sui sententia.

In eundem modum quisquis res nostræ Galliæ peruidens considerauerit ad quantam rerum amplitudinem, felicitatem, gloriam, opes atq; potentiam, Corona Galliæ iam euecta esset, nisi bella nostra plus quàm ciuilia impedissent; & tot florentes, strenuos, fortesq; viros (qui adhuc in viuis superessent, absque nostris motibus fuisset) plus satis suppeditaturos fuisse virium, quibus impetum in veterem illum inimicum nostrum Madritum vsque faceremus, deliciarumq; & Equirialis ipsius leges ferremus ipsi arbitratu nostro, præsertim freti auspicijs Magni illius Præstantisq; Imperatoris

exercitus,

exercitûs, cui Navarrica sua ditio, & Tarraconensis, & Lusitanica proiectis ulnis videntur sese committere, vt ab horrenda ista tyrannide Castiliana liberentur: Quisquis ad hæc, inquam, animum aduerterit, non poterit sanè, quin iustissima ira summaq; indignatione rapiatur aduersus eos, qui in numerum nostrum submissi sunt, vt magnum illud incendium excitarent, indesinenterq; fouerent, quo hæc Monarchia antè florentissima, iam fermè consumpta est.

Hos autem homines Iesuitas esse, mortalium nemo dubitaturus est, si duo genera exceperis: quorum hi vsq; adeò sunt à natura timidi, vt se adhuc putent versari in manibus sedecim virorum, id est, prædonum Hispaniensium, & Iesuitarum qui istis fuerunt à consiliis: illi verò ad fraternitatem & cœtum ipsorum pertinent, qui periculosissimis quibusque votis sese damnauerunt, rationesq; ineunt quotidie clanculùm, quibus vrbes iustæ in partes ipsorum transeant, fiantquè Iesuiticæ.

Verùm homines isti non aliter quàm voce submissa & muto quodam murmure musitant. Ab alteris autem partibus maximus & vniuersalis consensus bonorum omnium animaduertitur, cùm eorum qui ex hac vrbe æstu bellorum durante prodierunt, tum eorum qui permanserunt, & tanto studio ac contentione animi portas Regiæ Metropoleos patefecerunt Regi suo (*nos enim omnes eadem metuere, eadem cupere, eadem odisse nunc oportet*) tantum, inquam, studium omnium animarum, quæ quidem verè sunt Francicæ, animaduertitur: quæ verè exoptant huius regni amplitudinem atque incrementum: quæ iam fretæ indubitata fiducia vestræ iustitiæ istudq; vestri ad seruitium Regiæ Maiestatis, propulsant omnes istos occisores Regum, istos confesso-

res, & auctores hortatoresque parricidiorum eiusmodi: & quidem propulsant longè extra Galliam totamque ditionem parentem floribus lilij, qui flores hostes sunt iuratissimi portentorum istorum, per quæ filiorum ipsius charissimorum vnus iam fuit dereptus, & parum abfuit quin funestum eundem nuncium de Rege præsente acceperit (quem illi iamque cum animis suis, ope, consilio & studio feruentissimo trucidarunt) eademque die in terram plane affixerint, & in partes innumerabiles totam comminuerint laudatam illam columnam, qua hoc sceptrum nititur tot annos ab istis agitatum & concussum, proh dolor, ante oculos prudentium virorum omnium: qui in amplissimo hoc Galliæ oraculo, prædixerunt non clausis (vt nunc) ostijs, sed patentibus & apertis planè, & circumstante celeberrima corona populi, non absimili ab ea quæ illic obseruat in aula maxima & huc intromitti cupit: prædixerunt, inquam, non ambiguè, atque generatim, ἐν τύπῳ, vt aiunt, sed perspicuè & circumstantijs omnibus, quas vidimus omnes, adhibitis, prænunciantes miserias, quas experti sumus, procellasque grauissimas, quæ nos vno digitulo (quod vulgo dici solet) in certissimam ruinam fuissent impulsuræ. Sed, eheu, vaticinia illorum, effata, monita, protestationesque tam fuerunt inutiles, quàm ex veritate sunt: veræ profectò Cassandræ.

Ora, Dei jussu, non vnquam credita Teucris.

Cur autem? quid causæ fuit, quod isto veterno oppressi sumus, & malis tam bene sagaciterque præuisis non est medicina facta? Certè euidentissima est mali istius causa: illapsum erat in crumenas gratiosorum multorum istud aurum Hispaniæ, qui bellicas istas tubas sustentauerunt continenter atque euexerunt; istas seditionis faces, ventos istos procellocissimos, qui omnem operam adhibent di-

bent di-

bent diligentissimè, vt malaciam illam tranquillitatemq; Galliæ continentibus procellis tempestatibusque perturbent.

Eorum autem, qui integrè ab auro isto abstinuerunt, bona pars nihilominus animo paruo ac minuto fuit: vultus expalluit, contremuere manus, quum magnum illum & salutarem ictum feriri oportuit, ad restituendam libertatem Galliæ & exterminandos Sinonas istos, quorum greges in nostrum numerum sinumq; nefariè subiecti sunt.

Pauci exstiterunt è nobis, qui animum, fortitudinem, stabilitatemq; cum probitate illa coniunxerint: & de ijs adeò prouisum est veteratoriè, vt rationes illicò adhiberentur, quibus aut eos de medio scelerati tollerent, aut de omni gratia, omni authoritate deiicerent. Sed tandem *Venit lustris labentibus ætas.* Quum licet nobis non solum absq; metu (nec enim se putet quisquam metum nobis incurrere: *jam diu è Gallia fugissemus, si nos fabulæ istæ debellassent*) quum licet, inquã, honestè atq; gloriosè aduersus istos poculorum administros dicere, qui potum rebellionis populo miscuerunt, & corrupto pane periculosissimè pauerunt ipsum, postquã massam Galliæ fermento Hispaniensi fermentassent.

Neque vero vos existimetis, ô Castiliani exploratores, ictum hunc vehementiæ ardorisque Gallici refracturos esse, nosque *ad moras judiciorum longas nimium & pro nocentibus compositas* veteratoriè reuocare posse: vt anno 64. olim perfecistis. Tum enim non aliter de actionibus vestris sermo habebatur, quàm per diuinationis modum. Quòd si vnus aliquis res futuras animo præceperit, denos semper pro vno inueneris, qui de futuris rebus minimè cogitent. Iam

verò

Iam verò quotusquisque nostrûm est, obsecro, qui aut suo corpore, aut fortunis, aut necessariorum, amicorumve iactura non senserit effecta horribilia coniurationis vestræ, & violentas executiones illas eorum mandatorum, quæ in cathedra veritati soli pietatique dicata dabatis plebi imperitæ: quum vos cathedram illam flamma, cædibus, & blasphemiis horrendis compleuistis, populo persuadentes Deum ipsum esse occisorem Regum, & ictum cultelli apud inferos fabrefacti attribuetes cœlo.

O Henrice tertie, mi permagne Princeps, qui hac commoditate in cœlo frueris, quod legitimum & generosum successorem tuum prospectas calcatis omnibus inimicis tuis iamiam tranquillè regnantem in domo tua Lupara: qui hoc tempore ad eum respicis in Regni finibus perrumpentem, dissipantem, & vertentem in fugam acies Hispanicas, longe turpiorem fœdioremque fugam quam iactura præliorum decem futura esset: qui vides tormentis tuis labefactantem ciuitates vltimas perduelles, comitatu sexies mille Nobilium hominum instructum, flagrantium impatientia, & gloriosam vindictam mortis illius tuæ continuo labore persequentium: adesto mihi in hac causa, & tuum illud indusium totum sanguine tuo cruentatum mihi ante oculos indesinenter pone, inde mihi vires in hoc tempore, vt afficiam omnes populares tuos dolore iustissimo, odio, & indignatione, quibus feruere ipsos oporteat contra Iesuitas istos, qui impiis suis confessionibus, furiosis concionibus, & clandestinis consiliis cum Legato inimici tui, & cum scelesto veneni artifice, quo sublatus est vnicus frater tuus, indesinenter habitis, omnes miserias illas apportauerunt, quas miser populus tuus perpessus est, vitæque tuæ exitium funestissimum.

Amplissimi

Principium narrationis & confirma[illegible]

Amplissimi viri Domini Consultissimi, Imperator Carolus Quintus, & filius eius Philippus, postquam se auro senserunt abundare, quod ex Indijs [illegible] haustis aduehitur, spem illam maximam animo suo complexi sunt, ausisque immanibus sibi desponsam habuerunt Monarchiam & Imperium vniuersi Occidentis, seque familiam suam Austriacam in idem fastigium & amplitudinem per Europam, ac Ottomanorum familia sese in Asia extulit, confisi sunt euecturos.

Atque hi quidem prudentes Politici non ignorauerunt, quanta sit Religionis, quanta scrupulorum conscientiæ vis in mortalium animos, & quam alte momentis singulis in pectora hominum insinuent hæc sese atque radicentur.

Itaque vt maximam Curiæ Romanæ partem sibi adiungerent, percommoda & facilis via ipsis constrata est pensitationibus & opimis donatiuis Mediolanensibus, Neapolitanis, Siculis, præter alia pretij incredibilis quæ ab Hispania profluxerunt.

Sed quia graue est quodammodo & sedentarium (vt ita dicamus) quidquid in hac vrbe maxima versatur, homines leuiculos, & mobiles hîc adhibere oportuit Regionibus singulis dispositos, qui ea omnia perficerent quæ ad commodum & propagationem rerum Hispanicarum videntur pertinere. Homines isti Iesuitæ sunt, horrendo planè numero in omnes partes diffusi. Iam enim quasi decies mille sunt: iam ducentas uiginti octo Hispanicas colonias instituerunt: iam in ære habent prouentus annui amplius vicies centies coronatorum aureorum millia: iam Domini sunt Comitatuum & Baroniarum amplissimarum in Hispania, Italiaque: Iam ad Cardinalitium fastigium peruenerunt: iam denique propè est quum fiant Pontifices. Quod si

 ad annos

ad annos adh... ..ginta, vbicunque locorum sunt in hoc tempo..., duraturi essent, hæc proculdubio locupletissima, potentissima, firmissimaque societas inter Christianos futura esset, & iustos exercitus stipendio suo alitura: pro vt iam de suo numerant ad militarium copiarum alimentum.

Quartum votum Iesuitarum.

Istorum votum principale est, vt *per omnia & in omnibus* suo Generali (quem vocant) & superiori obsequantur: atque hic semper Hispanus est, & electione facta per Regem Hispaniæ datus. Demonstrat illud euidentissimè perpetua experientia. Nam *Layola*, qui primus inter ipsos Generalis extitit, Hispanus erat: *Laynes* secundus, itidem Hispanus: Tertius *Everhardus*, Belga, Hispano subditus: Hispanus & quartus, *Borgia*: *Aqua viva* Quintus, qui adhuc Societatis istius Generalis, Neapolitanus est, ex ditione Hispani. Huius autem voti quod numero quartum est, alienæ sunt horrendæque voces. Nam quousque procedant animaduertite: vouent singuli Generali suo fore, vt *in illo Christum velut præsentem agnoscant*. Si Dominus Iesus Christus imperaret cædem, patranda esset. Si ergo Hispanus Generalis istorum, tentari iusserit aut curari per alterum cædem Francorum Regis, id necessariò fieri oportebit. Petrus quidam Ribadenarius Iesuita historiam ipsorum composuit, quæ Antvverpiæ anno 1587. impressa est, & inscripta, *De vita Ignatij*. Hæc nos manifestò docet, non alium scopum institutionis ipsorum esse, quàm vt res promoueantur Hispaniæ, vbi iamdiu antequàm alibi vsquam in orbe terrarum, recepti sunt. Hæc enim verba istius libri pagina 146. *Nam hæc societas nondum nata in auctore suo Ignatio, primùm probata est in Hispania: deinde iam edita in lucem, in Italia Galliaq; grauiter oppugnata.* Ac propterea etiam nihil est quod tanta religione obstringat

ſtringat eos, quàm vt dies & noctes Deum orent ſupplices pro armorum proſperitate & pro victoriis atque triumphis Hiſpaniæ Regis. Iſta ſunt eiuſdem libelli verba pag. 169. *Dies noctesq; Deum noſtru placare atque fatigare precibus debemus, vt Philippum Regem Catholicum incolumem, fœliciſſimumque quàm diutiſſimè tueatur: qui pro ſua avita atque eximia pietate, ſumma prudentia, incredibili vigilantia, maxima inter omnes qui vnquam fuerunt Reges potentia, ſe murum pro domo Dei opponit, & Catholicam fidem defendit. Quod quidem præſtat non ſolùm armis inuictus & conſilijs ſalutaribus, ſed etiam ijs ſacrorum patrum excubijs, qui fidei Catholicæ Senatui præſunt.* Quapropter nemini profectò mirum videri debet, ſi quamplurimi honorati viri ſe Ieſuitas hic precanteis audiuiſſe affirmant, *Pro Rege noſtro Philippo.* Nullus enim Ieſuita eſt in terrarum orbe, qui ſemel ſaltem de die non fundat precationem iſtā: ſed pro ut res Hiſpaniæ ſe habent, & pro natura locorū vbi ſunt, vota ſua publicè aut priuatim pro illo efferre ſolent.

Singularis Ieſuitarum zelus in Regem Hiſpaniæ.

Contrà verò apud omnes conſtat, homines iſtos nullo pacto concipere preces pro Rege noſtro. Nam etiam Iureiurando fidelitatis non ſunt obſtricti Maieſtati illius: Imò vero ne habiles quidem & apti ſunt ſacramento aut iureiurando iſti, cùm nec corpus ipſorum in Gallia fuerit approbatum, nec iuſti ſunt Vaſalli Regni, ſed puri potius Vaſalli per omnia & in omnibus tum Generali ſuo, tum Papæ ſimpliciter obligati. Quo quidem argumento declaratur euidentiſſimè iſtorum hominum coniuratio, certoq; certius euincitur ipſorum votum ad ſubuerſionem Regni contendere. Nam inde ab annis quaſi mille ſexcenties, ex quo Religionem Chriſtianam pretioſus ſanguis filij Dei & Martyrum ipſius irrigauit, ne fando quidem auditū eſt ſectæ illius nomē, quæ votis eiuſmodi adeòq; horrendis ſeſe obſtrinxerit.

Deum non orant pro Rege, *nec ei dederunt fidem.*

Quin viri Galliæ Ecclesiastici tantum abfuerunt ab ea labe, seq; tanto opere his malis contaminare exhorruerunt, vt contra quotiescunque Pontifices hostibus huius Regni iniuste sese addixerunt, suamq; auctoritatem & potentiam, quam Deus ipsis ad ædificationem tribuit, occupare indigne voluerunt ad destructionem florentißimi in orbe Christiano Regni, cui omnia sua temporaria commoda accepta ferant necesse est: magnos viros & sanctos de numero suo habuerunt, excitauerunt, stiterunt, qui communi consensu Ecclesiæ Gallicanæ istos conatus fortißimè à ceruicibus Galliæ depulerunt.

Verum isto postremo impetu aliqua pars Ecclesiasticorum suxisse comperta est aliquid lactis venenati istius, & perniciosam istam doctrinam Iesuitarum pro indubitato axiomate habuisse: quisquis tandem Pontifex electus est, licet omni tempore palàm stipendia faciat confeßione omnium, & partibus Hispaniæ hæreat, hostisq; Galliæ sit iuratißimus: penes istum tamen potestatem esse exponendi totum Regnum prædæ, & subditos ab obsequio, quod iusto Principi suo debent, absoluendi.

Hæc propositio schismatica, damnata, & ex diametro cum Dei verbo pugnans, quod potentiam spiritualem tam longe disterminat â potestatibus terrenis ὅσον ὀυρανὸς ἐστὶ ἀπὸ γαίης, quâm cœlum à terra: hæc propositio, qua stante Religio Christiana tam efficeretur aduersa rerum publicarum & Regnorum conseruationi, quàm verè commodum est ad constitutionem illorũ adiumentum: hæc, inquam, propositio scelesta, vbi in mentibus Gallorum aliquot sedem obtinuit, hæc nobis furores illos, cruenta facta, cædes & confusiones horrendas, quas ante vidimus, importauit.

Anno 1561.

Anno 1561. quidam Iohannes Tanquerellus, Baccalaureus Theologiæ, sententia publica fuit multatus honoraria culpæ suæ deprecatione, eò quod suis Thesibus inscribere hoc dictum fuisset ausus, esse in potestate Papæ excommunicandi Reges. Anno 1589. mense Ianuario, quum mitteretur in consilium Collegij Sorbonæ quæstio, vtrum subditi ab obsequio erga Regem præstando absolui possent, fortiter ex officio Faber Syndicus, Camusus, Chabotus, Faber Curio ad S Pauli, Chauagnacus, & seniores quique nefariam istam propositionem reiecerunt: sed maior pars, scholæ Iesuitarum alumni, Bocherius, Pichenatus, Varaderius, Semella, Cuillius, Decretus, Auburgus, & alij innumeri vincente suffragiorum numero id obtinuerunt: contra quam omnibus axiomatis Regni Galliæ prouisum est, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ; quas Iesuitæ abusus corruptelarumq; nomine donare solent. Atq; hi speciosi lectionum Theologicarum fructus, quas illi faciunt, scilicet.

Iesuitarum in Sorbona factio.

NB.

Reges Galliæ sunt primogeniti Ecclesiæ filij: sunt inquam filij omnia virtute meriti quæ mortales mereri de Ecclesia possent, propulsata & repressa Regum Castilianorum, Tarraconensium, & aliorum audacia, qui iuri Ecclesiæ vim vllam facere aut derogare de eo voluerunt. Quum Papa agnoscet Regem filium primogenitum & Regem primum Christiani orbis, tum Galli ipsum vt Patrem Sanctum agnituri sunt. Dum verò vitricus, ac non pater, factiosus, ac non interuentor erit, dum inimico animo lacerare tentabit Galliam vt purum in ea imperium habeat, & flores liliaceos submittat suis pedibus, aut pro tropæis adnectat insignibus Hispaniæ, quæ tanta diuersitate sunt,

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.

Ita maiores nostri vixerunt olim. Gregorius quartus regnante Ludovico Pio id sibi arrogare voluit, vt veniret ad excommunicandum Regem: sed Gallicana Ecclesia rescripsit Gregorio ipsum excommunicatum ad suos reuersurum. Idem quoque in Pontificem Adrianum factum temporibus Caroli Calui Regis.

O fortis & inuicta Ecclesia Gallicana, tu per illud tempus animis verè Gallicis, verè Christianis, religiosis verè abundabas: qui id in votis maximè habuerunt, vt *per omnia & in omnibus* morem gererent mandatis Dei, quæ semper iusta sunt, non autem omnibus factis insolentibus, conatibusq; cederent, quos Roma aut Hispania posset in Gallias instituere. Sed eheu, ex quo tempore inimici tui contra amplitudinem tuam coniurati nouas istas Castilianorum colonias ad te transmiserunt, istos sicariorum conuentus, quos solenne votum obligauit, vt Generali suo, homini Hispano, æquè obsequantur ac Domino Iesu Christo in terras descendenti, & ruant in cædes Regum ac Principum, aut eos trucidari per alios curent, in quos œstrum furoris sui transfuderunt: ex eo, inquam, tempore vbi sunt, obsecro, præclara illa Gallicanæ Ecclesiæ decreta atq; sententiæ? Quemadmodum in historijs de Gemellis quibusdam legimus mortem vnius illorum exitium fuisse alterius: eadem quoq; legis istius natura est, ne quis ab obsequio, quod Regi debetur, posit discedere, quæcunque tandem Româ aduenerit excommunicatio. Hæc lex tâm arctè hæret Reipublicæ, & vicissim illi Respublica, vt diem exitij eundem vtrique esse oporteat, pro vt originis dies certè vnus est. Hoc illud obsequium est integrum, perfectum, atq; absolutum, quo

obti-

obtinentur prælia, quo funduntur hostes, quo proue-huntur merita singulorum & labores coronantur, sine quo nihil florere, nihil firmum aut stabile esse potest, Hoc certissimum vinculum, hoc ornamentum, & vis rerum omnium: *Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt: si duo soles sint, omnia peribunt incendio.* Itaque licet Primates, & Archiepiscopi, & Episcopi in Regno Galliæ primas obtineant in Religionis causa, ante omnia tamen id quod opus est, ex æquo bono procuratur, vt præstent Iuramentum fidelitatis Regi: tantum abest vt contrarij voti iure simpliciter obsequi Papæ & in solidum teneantur.

Rex Sanctus Ludovicus forti animo, nec sine aspera quadam vehementia intercessit aduersus Bullas Romani Pontificis: vt ex Pragmatica sanctione eius cognoscimus. Perbellè sanè hoc factum illius Roma vlta esset, si totam stirpem optimi illius fortissimique Regis potuisset extinguere: cui consilio perficiendo insudauit maximè his temporibus Cardinalis Placentinus titulo Legati Pontificij submissus in Galliam, qui omnes suas facultates, omnes vires, omnemque operam in eo consumpsit, vt legem Salicam euerteret: quæ lex certissimum est Palladium Galliæ, sine qua flores Lirini non fuissent vnquam post omnem hominum memoriam, in tantum honoris gloriæque fastigium conscensuri: & quæ nunc etiam efficit, vt hodierno die contra omnes artes, omnes proditiones, & dolos omnes Hispaniæ flores lilij splendeant luculentissimè supra alia omnia, quæ superba atque gloriosa in orbe terrarum existere aut videri possunt.

Sed videamus amplius, qua fronte in Gallia commorari possint, quicunque hoc, quarto & principali voto tenentur obsequi *per omnia & in omnibus* absolutè

Generali suo Hispano & Papæ, continentibus Mandatis, & minis Philippi Regis fatigato, cuius fauces premit Rex Hispaniæ pedibus per Neapolim, Siciliam, & Principes factionis suæ Romæ in vrbe ipsa habitantes: Papæ, inquam, palàm affirmanti *Cap. ad Apostolica, de sentent. & re judic. in 6.* Itemq; in Extrauagante *Commun. C. Sanctam de Maioritate & Obed. subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ omninò esse de necessitate salutis.* Ne autem quisquam existimet hæc dicta defendi posse, recepta distinctione illa temporalium & Spiritualium: animaduerti necesse est, vt se nominatim & disertis verbis caput declarat esse, & supremum, adeòq; Dominum absolutum Regum omnium Principumq; terræ, tum in spiritualibus, tum in temporalibus; affirmans sibi potestatem esse iudicandi eos, & destituendi de solio suo. *Vterq; ergò,* inquit, *Est in potestate Ecclesiæ, Spiritualis scilicet gladius & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus: ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatē spirituali subijci potestati. Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet & judicare, si bona non fuerit. Sic de Ecclesia & Ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Ieremiæ, Ecce constitui te hodie super Gentes & Regna, & cætera quæ sequuntur. Ergo si deuiat terrena potestas, judicabitur à potestate Spirituali: sed si deuiat spiritualis, minor à suo superiori: si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit judicari: testante Apostolo, Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur.*

Quòd si propositiones istæ, non errorem, non schisma sapiunt, quid aliud sequitur, amabo vos, quàm vt statuamus nos omnes, qui paremus Regi, excommunicatos esse: Galliam vniuersam anathemati deuotam esse:

esse? infestam maledictione, & prædam Satanæ traditam? Et quam rationem seruauerunt maiores nostri, *quorum virtus etiam hodie vitia nostra sustentat?* quid instituerant, quum in casus istos & infortunia inciderunt? Rescripsit Philippus Pulcher Bonifacio Octauo Pontifici, non esse penes illum potestatem vllam in Reges Galliæ, & si qui contra affirmarent, eos stultos & dementes esse. Legatur Bellarminus: audiantur conciones omnes, & confessiones Iesuitarum omnes: has propositiones vnà cum Philippo Pulchro detrudunt in imos inferos, & eos omnes qui publicè in conuentu Ordinum huius vrbis Lutetiæ bullam Bonifacij combusserunt, declarantes vacare per illud tempus Romanam sedem. Iste verò Bellarminus, Iesuita celebris, affirmat Pontificibus potestatem esse, destituendi Reges Principesq́ terræ de statu ipsorum: nec alias rationes affert in medium, quàm varios conatus consiliaq́ tyrannica. To. 1. Contr. 3. li. 5, ca. 9.

Benedictus decimus tertius Papa, Bonifacium studuit imitari: sed bulla ipsius libellum famosum continens aduersus auctoritatem Caroli sexti Regis in publico fuit lacerata: qui verò eam attulerant, in honorariam deprecationem culpæ condamnati sunt, & tintinabulis vehiculis probrosis exportati.

Ludouicus Rex duodecimus, qui idem Pater populi cognominatus est, tàm exosus fuit Romæ, quàm charus Galliæ. Hic Iulio secundo Pontifici multas Italiæ vrbes donauerat. Iulius vt gratum animum ostenderet, Hispanos, Germanos, Heluetios, & Anglos in hunc concitauit. Itaque anno 1510. Rex Consilium Turonibus curauit haberi, vbi decretum est Iulium castigari armis oportere. Idem Pisano alteri Consilio placuit. Hanc ob causam Regem Regnumq́ totum ex-

communicare ausus est Pontifex, & absolutionem omnibus ijs pronunciare, qui Gallum aliquem occidissent. *Alijs igitur fines adijcitis, alios agris multatis, alijs vectigal imponitis, Regna augetis, minuitis, donatis, adimitis;* quis contulit in vos potestatem istam? Ad Deum enim quod attinet, is dixit vobis, Regnum vestrum non esse de hoc mundo.

Atque hæc quidem grauis excommunicatio non potuit in Regnum Galliæ perrumpere: verumtamen obtinuit plurimùm in Nauarreno Regno, quod nobis erat coniunctum fœdere, vbi non erant subditi aduersus conatus istos satis confirmati: Itaque factum est vt Ferdinandus Rex Arragoniæ meliorem partem Nauarrici Regni occuparet, dum Iohannes Albretanus, huius Regis, qui iam Galliæ præest, Abauus, ageret in Gallorum exercitu.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor.

Atq; hoc loco me cogit necessitas vt aliquid dicam de Iesuitarum ortu: sed quam breuissimè, propterea quòd aliò me instituta hæc causa auocat.

Origo Iesuitarum, Anno 1521. dederunt Galli operam, vt hæreditas ei restitueretur, qui sua causa ipsam amiserat. Pompelonem obsederunt, & ita quassauerunt tormentis grauiter, vt tandem expugnarent. Hic præerat Ignatius Layola cohorti vni præsidiariæ à Castilianorum partibus: qui nihil intentatum reliquit ad defensionem loci, adeò vt crura ipsi effracta sint. Hæc res hominem eripuit militiæ suæ: sed quia in votis habebat ἄσπονδον & irreconciliabile odium aduersus Gallos, quale Hannibalis Carthaginiensis in Romanos fuisse legitur, iste homo ope maligni spiritus pestilente incubatu exclusit oua maledictæ istius & coniuratæ Iesuitarum manus, qui innumeros casus atque grauissimos Galliæ nostræ attulerunt.

Natura

Natura prouidentissima fecit, vt fera cruentaque animalia parum fœcunda sint: Leæna vnicum fœtum enititur, idq; in vita semel: si tam feracia hæc animalia essent, vt multa alia sunt, terra incolis caritura esset. Hic verò res planè admiranda est, quibus modis hoc sceleratum semen ad ruinam hominum desolationemq; genitum, pauculis annis luxuriauerit: cùm pro sexaginta capitibus, qui numerus fuerat dictus prima institutione ipsorum, ad decem vsque millia multiplicati sint: adeò vt si eadem proportione deinceps pergerent excrescere, spatio triginta annorum amplius duodecies centies mille futuri essent, & integra regna Iesuitarum efficerentur. *In bulla anni 1540 sub finem.*

Non accesserunt isti in Galliam prolatis signis: nam simul nati, simul præfocati atq; extincti fuissent, Sed venerunt in paruula conclauia Vniuersitatis nostræ, vbi astutæ vulpes quum diu explorauissent omnia, consiliis Roma acceptis vsi sunt, & formatis (vt vocant) instructi diligentissimè, quæ ad viros magnos & gratiosos in Gallia perscribebantur, gratiam honoremq; Romæ, quibuscunque modis possent, affectantes: à quo hominum genere semper huic Regno reique toti publicæ metui quam maximè oportuit. His igitur modis quum se paulatim insinuauissent artifices, & tandem assequuti essent, vt Mœcenates sui Cardinalis Turnonensis & Lotharingus in sua causa præsides & iudices darentur sibi, tantum effecerunt inaudita Vniuersitate, ut duo illi adornati Iudices Poisiaci decreto vni subscriberent sua manu, quo statuebatur vt Collegium ipsorum toties anteà reiectum in hac vrbe Academiaq; reciperetur, quamuis religiosa professione ipsorum depulsa, & abdicato illo quod sibi assumunt Iesuitarum nomine.

Hunc

Hunc vnũm aditum ad tempus illud, & non amplius appetebant, certò sibi persuadentes se paulatim & *sensim sine sensu tamen* effecturos tantum numerum animarum Iesuiticarum suis confessionibus, concionibus, & institutionibus iuuentutis, vt tandem aliquando cùm assequerentur omnia optata sua, tum Aduersarios suos euerterent, imperiumq; superbissimum in Rempublicam exercerent. Quam rem ante oculos & ora omnium inde à tempore Regifugij perfecerunt: donec tandem fœlicibus auspicijs hæc Parisiorum vrbs in obsequium Maiestatis Regiæ fuit restituta.

Consilia apud Iesuitas habita.

Quæ lingua? quæ vox hominis, si forte, satis esse posit ad enuncianda arcana consilia ipsorum, coniurationesq; tætriores conspiratione illa famosa Bacchanalibus facta, & periculosiores quàm vnquam fuerint Catilinariæ, quum consilia habita sunt, tum in Collegio ipsorum vico Sancti Iacobi, tum vico Sancti Antonij in Ecclesia ipsorum? Ecquis locus, in quo Legati & Agentes Hispanici, Mendozza, Daguillo, Diægus Divarra, Taxis, Ferianus, & alij suos conuentus quàm abstrusissimos habuerint, nisi apud Iesuitas? & vbi, obsecro, Luchardus, Amelinius, Crucæus, Cromæus, & celebres prædones illi, infamesq; parricidæ, coniurationes suas architectati sunt, præterquam apud Iesuitas? quis responsionem illam sanguine non atramento scriptam fecit contra Apologiam Catholicam preterquam Iesuitæ? qui omne suum studium, operam, industriam consumpserunt, vt contra personam & iura Maiestatis Regiæ, quæ iam obtinet, effunderent quicquid vnquã in vniuerso mundo falsum & calumniosum excogitari potuit, quinam sunt belli homines illi, qui inde ab anno 1585. absoluere à peccatis viros nobiles recusarunt,

ſarunt, niſi darent fidem ſe in coniurationem aduerſus Regem ſuum, Regem (vt ita dicam) Catholiciſsimum venturos eſſe: in quem nihil aliud criminis poterant intorquere, niſi hoc quod non occubuiſſet tanta celeritate ac Magi ipſorum & diuinaculi prædixerant: Quis vrbem Petragoriorum perdidit, præter Ieſuitas: qui ſeditionem publicam excitauerunt in ipſa Curiæ vrbanæ penetralia venientes. Quis in cauſa fuit cur Rhedones deficerent (quorum defectio ad octiduum fuit, & tanti interfuit Britanniæ totius Aremoricæ) niſi Ieſuitarum conciones: pro vt ipſi, ipſi inquam, in hac ipſa vrbe vulgari typis curauerunt: Quis Agendicum, Toloſam, Veromanduos eripuit nobis, & omnes vniuerſè vrbes in quibus pedem homines iſti poſuerunt: Burdegalam excipio, vbi anteuertit eos noſtrorum induſtria: & Nitiobrigas, vbi præſentia Ducis Niuernenſis, mœniorumq́ infirmitas animum ademit ĳs, quos acrimonia veneni ſui concitauerant.

Quæ eſt illa ſedes, in qua duo Cardinales iſti, qui ſe Legatos Apoſtolicos in Galliam prædicabant, ſuos cœtus conſiliaq́ habuerunt, niſi Ieſuitarum domus: & vbi locorum Mendozza Legatus Hiſpaniæ die feſto Sanctorum omnium anno 1589. conſilium ſedecim virorum habuit, niſi in Ieſuitarum Collegio, quum Rex in ſuburbia Lutetiæ irrupiſſet? vbi obſecro, ſequente anno deſperatum illud decretum factum eſt, committendum potius vt ciuium noſtrorum, Incolarum Pariſienſium nonageni de centenis perirent inedia, quàm vt vrbs dederetur Regi: quis vinum, triticum, auenam præbuit deditis pignori monilibus Regĳs & ſacratis Regno, niſi Ieſuitæ: qui etiam poſtridie per Lugolium eadem penes ſe habere comperti, quam Rex

in vrbem hanc ingressus est? quis sedecim prædonum illorum consilio præfuit, nisi Comoletus, Bernardus, & Pater Odo Pichenatus? quo homine nulla tygris sæuior Lutetiæ fuit, & cuius animo tàm ægrè fuit quum negotia publica aliter videret succedentia, quàm ipse sibi spoponderat, vt in rabiem miserabilem ex eo inciderit, & adhuc hodierno die seruetur catenatus in Collegio ipsorum, quod est Biturigibus. Optimè dicebat olim quidam, si in animos impiorum introspici posset, fore in eis conspicuos *laniatus & ictus, quando vt corpora vulneribus, ita sæuitia, libidine, & malis consilijs animus dilaceratur.*

Quo tempore Rex Philippus, inducto Lutetiam præsidio Hispanico Iesuitarum istorum persuasionibus, titulum speciosum habere voluit possessionis istius quam vi publica iamq; obtinebat, quem submisit ad hoc institutum, nisi Patrem Matthæum Iesuitam? cui nomen idem est, ac fuit cognomen alteri Iesuitæ Matthæo illi, qui Princeps instrumentum fuit conspirationis, quam Ligam vocant anno 1585. institutæ. Matthæus iste pauculis diebus, quibus in hac vrbe commoratus est in Collegio Iesuitarum hospitans, literas scribi & subsignari curauit eas, quibus præclari viri illi, qui sese honorificè appellabant de nomine Consilium sedecim Regionum huius Parisiorum vrbis, non vrbem hanc solùm, sed vniuersum Regnum dedebant Philippo Regi. Quod Consilium longè melius lectione ipsa literarum, quàm alia narratione vlla docturi sumus.

Catholica Maiestas tua, ô Rex, cum vsque adeò erga nos benigna fuerit, vt nos opera Religiosißimi & Reuerendi Patris Matthæi faceret certiores non solùm de suis sanctis studijs erga Religionem ad commune bonum, verumetiam sigillatim de suo animo, optimo &

ptimo & fauente maximè erga hanc Parisiorum vrbem. Et paulo pòst. *Speramus in Domino arma Sanctitatis ipsius & tuæ Maiestatis iuncta nos esse propediem liberatura ab oppreßionibus inimici nostri, qui nos adhuc inde à sesquianno circumseptos tenet ex omni parte munitionibus tàm arctè, vt nihil in hanc vrbem venire poßit, nisi cum periculo grauißimo, aut armorum violentia: & plura etiam tentaret efficere, nisi à præsidijs sibi metueret, de quibus placuit Catholicæ Maiestati tuæ nobis prospicere. Id certe apud Catholicam Maiestatem tuam possumus confirmare, non aliud in votis & optatis omnium Catholicorum esse, quàm vt videant Catholicam Maiestatem tuam obtinentem sceptrum huius Regni, atque in nobis regnantem: prout nos quoque libentißimè inter vlnas ipsius, tanquam Patris nostri, nos ipsos dedimus: aut certè vt aliquem stabiliat de posteris suis in possessione Regni. Quod si quem alterum quàm sese præficere nobis voluerit, placeat Maiestati tuæ Generum certum sibi deligere, quem omnibus modis, studijs optimis, toto animo & obsequio, quale bonus & fidelis populus præstare potest, sumus Regem accepturi. Speramus etenim eam fore benedictionem Dei erga coniugium & affinitatem istam, vt quod bonum olim percepimus à maxima illa & Christianißima Principe Blanca Castiliana, matre Sancti Ludouici Christianißimi atque Religiosißimi Regis nostri, idem bonum, ac potiùs alterum tantum assequamur per magnam illam & omni virtutum genere instructißimam Principem filiam Catholicæ Maiestatis tuæ, quæ raris suis singularibusq; virtutibus aciem oculorum omnium rapit & sistit in sese, tanquam in obiecto dignißimo, in quo semen Galliæ ac Hispaniæ splendeat: vt in perpetuum quasi fraterno germanitatis fœdere hæ duæ amplæ Monarchiæ iungantur sub Regno illorum, ad propagationem gloriæ Domini nostri Iesu Christi splendorem Ecclesiæ ipsius, & incolarum omnium qui in orbe terrarum degunt, sub eadem Christianitatis signa adunationem: quemadmodũ Catholica Maiestas tua, quàmplurimis insignibus triũphalibusq; victorijs fauore numinis Diuini & vi armata progressus fecit*

amplißimos, quos progressus supplices oramus Deum, qui Dominus exercituum est, continenter eodem genere benedictionum augeat, & potenter ita perficiat, vt breui effectum reddatur opus ipsius: ac propterea proroget Catholicæ Maiestati tuæ in optima incolumitate vitam fœlicißimam, victorijs & triumphis de quouis hoste ipsius cumulatißimam. Lutetiæ, die 2. Nouemb. 1591. & inferius ad latus paginæ: *Reuerendus Pater Matthæus, qui has literas perfert, & nobis plurimum ædificationis attulit, vt qui res nostras optime edoctus est, ea supplebit quæ desunt literis nostris apud Catholicam Maiestatem tuam, quam oramus humillime fidem habere ijs rebus, quas ille super hoc negotio relaturus est.*

Dies autem quo hæ literæ perscriptæ sunt, dignissimus est obseruatione, est enim secundus Nouembris, 1591. tertio autem decimo post die ij ipsi per quos literæ scriptæ erant, & qui ex relatione Patris Matthæi consilia Regis Philippi bellè cognouerant, illi inquam ipsi, qui à Iesuitis ne latum quidem discedebant pedem, & qui non aliò vsquam ad confessionem peccatorum suorũ veniebant, immanem illam & horrendam crudelitatem atq; inauditam exequuti sunt, qua Hispanico more sine forma aut specie legitimi processus vlla excarnificauerunt eum, quem pridie velut caput iustitiæ suæ reuerebantur: quum sibi Hispani, Iesuitæ, sedecimq; prædones illi, ac potius carnifices sedecim, & quicunq; adfines criminis ipsorum erant, omnino sponderent fore, vt spectaculum istud tragicum, funestum, & tætrum quod in oculis totius populi in plenis arenis (hoc publicæ carnificinæ apud Parisios nomen) exhibebant, imperitum populum ampliùs animaret, accenderetq; studia ipsius vt se in sanguine bonorum omnium, quibuscunq; non posset Hispanica tyrannis sapere, volutarent atq; immergerent. Sed Deus ille Optimus Maximus, qui huiusmo-

Mors D. Brissonij.

huiusmodi execrandos conatus perhorrescit, planè aliter statuerat. Efficit enim, vt horribilis ille dies, quo certissimum putabant fore Parisiis stabilimentum imperij Hispanici, ille dies ruinæ ipsorum esset: *tunc Troia capta est.* Nam qui omnium maximè veterno sepulti videbantur esse, hic cœperunt expergisci, qui omnium maximè percellebantur metu, desperatione cœperunt commutare metum: qui denicq; omnium maximè hæserant Iesuitarum concionibus fascinati, cœperunt agnoscere imperij istius Castiliani modum sibi quidem ita fuisse pictum, vt si suauitate, bonitate, & fœlicitate confertum esset, sed reuera tamen cumulum esse eorum malorum omnium, quæ in orbe terrarum sæuissima & summè formidabilia queant existere.

Ex his literis ad Regem Hispaniæ perscriptis & interceptis non procul Lugduno, à Domino Chaseronij, atcq; ad Regem transmissis (quarum autographum tunc fuit agnitum & adhuc quotidie videri agnoscicq; potest) demonstratum fuit euidentissimè, hunc scopum vnicum extitisse, in quem Iesuitæ, & proditores alij cauponantes Galliam toto bellorum istorum tempore collimauerant, hunc inquam fuisse vt Regem Hispaniæ totius Christiani orbis Monarcham efficerent. Hoc vulgo edictum est in ore hypocritarum istorum, *Vnus Deus, Vnus Papa, & Rex vnus Christianitatis, Magnus Rex Catholicus & Vniuersalis.* Omnes ipsorum cogitationes, omnia consilia, omnes actiones, omnes conciones, omnes confessiones ipsorum non spectant aliò, quàm vt Europam vniuersam sub iugum mittant Dominationis Hispanicæ. Et quia nullum potentius Choma, nullam molem grauiorem vident

maxima inundatio. Notabene sto fieri praedictionem de diluvio 1524.

Imperio Gallico, quae obsistat isti maximae inundationi, id vnum adlaborant, nec in alia re operam consumunt, quàm vt dissipent illud, dilanient, perdantque omni seditionum, diuisionum, bellorumque ciuilium genere: quas res indesinenter excitant suis artificijs, & ante omnia dant operam, vt familiam Regalem extinguant, praesertim quòd videant eam ad certa capita paucorum Principum redactam esse. Enimuerò quisnam sceleratus ille est, qui effecturus vt omnibus Gallis odio, execrationi, & abominationi esset stirps Domini Principis Condensis Ludovici Borbonij, qua ex familia maxima pars constat eorum qui Principes sanguinis vulgò appellantur, rumorem apud nos in vulgus dissipauit, generosum illum Principem se curauisse coronari & salutari Galliae Regem, nisi Iesuitae? qui eò venerunt impudentiae importunitatisque, vt in vita Ignatij pagina 162. rem tàm manifestò falsam & alienam ab omni probabilitate perscripserint, atque insuper adiecerint curauisse D. Principem, vt nummi aurei cuderentur cum hac inscriptione: *Ludovicus XIII. Dei gratia Francorum Rex primus Christianus, quae inscriptio arrogantissima est, inquiunt illi, & in omnes Christianissimos Franciae Reges iniuriosa.* Non dicunt, *esset*, Oratores isti, tanquàm de re dubia, sed tanquàm de certa, vtuntur verbo *est*, impudentissimè.

Impostura contra D. Principes ad Regiam stirpem pertinentes.

Vos ô Principes generosi, illius Patris filij, qui fieri potest, vt vestras ipsorum manus in istis impostoribus strangulandis minimè occupetis; qui frontibus vestris eam labem volunt aspergere, & notam inurere, qua nulla turpior, nullaque inhonestior, excogitari in mundo potest?

Sed quis

Sed quid agimus? quid hic sistimus pedem? an ad calumnias contra mortuos effusas veniamus? atqui viuentes ipsos trucidare volunt, nonne Collegium Iesuitarum est Lugduni, & alterum Collegium Parisijs, in quo postremum consilium captum fuit & deliberatum de occidendo Rege, Augusto Mense, 1593? Nonnè confessio Barrerij, qui Meloduni supplicio affectus, planè manifesta est? Nonnè tremefecit & perterrefecit bonos omnes, qui animo verè sunt Gallico? eos, inquam, omnes qui sua consilia & spes omnes suas morti Regis nostri non superstruxerunt? Nonnè Varadius Gymnasiarchus Iesuitarum, & ab ipsis electus tanquam vir optimus de numero ipsorum & optimus Iesuita, Varadius, inquam, ille ipse fuit, qui parricidam hortatus est atque confirmauit, docens non posse per ipsum in mundo fieri opus vllū magis meritoriū, quàm si Regem nostrum, licet Catholicum interficeret, eumque rectà in Paradisum & Regnum cœlorum abiturum? atque vt amplius scelestissimo illo consilio fortificaret hominem, nonnè curauit vt confessio illius etiam audiretur ab altero Iesuita, cuius non potuit cognosci nomen, & qui fortè adhuc in vrbe hac versatur, eiusdemmodi occasiones danculùm explorando? Quid plura? Isti impij & execrandi sicarij nonnè communione Sacramenti Barrerium illum insuper instruxerunt? Sanctissimum illud, pretiosiisimum, sacratissimumque Religionis Christianæ Mysterium occupantes, vt primarium Regem Christiani orbis excarnificari curent? *O quam maluissent patrati quàm incœpti facinoris rei esse.*

Iesuitæ volunt Regem perimere.

Hem officinam Sathanæ, vbi omnes cædes quæsitæ atque inuentæ sunt, quas tota Europa inde ab annis quadraginta patratas aut tentatas vidit, hem successores Arsacidarum homicidarumquè certissimos: qui

Raimun

Raimundum Comitem Tripolitanum, qui Marchionem Conradum à Monte ferrato, qui Eduardum filium Regis Angliæ, qui summos alios Principes quàmplurimos è medio sustulerunt. Quapropter etiam Rex Arsacidarum, quem adorabant illi (pro vt Iesuitæ suo Generali, qui nunquam nisi Hispanus instituitur, faciunt) curabat ante se circumferri militarem hastam ex omni parte cultris vtrimque acutissimis instructam, proclamante lictore hastato illius, abscedite retrorsum, fugite à conspectu eius, qui manibus suis præfert exitium Regum.

Ante paucos dies sicarius quidam Iesuita in Belgio compertus est atque comprehensus, qui ante mortem exposuit & pro testimonio dixit alterum ex Hispania submissum esse, ad perimendum Regem. O si quis nostrum certo cognosceret vtrum iste cædium artifex iam versetur in Collegio Iesuitarum, commodam occasionem exspectans & obseruans, dum Rex absit à nobis propius. Etenim vt testatum omnibus faciamus euidentissimè, non posse Iesuitas quin ratum habeant probentque suos fratres, quos sibi in consiliis eiusmodi consociauerint, summumque honoris culmen apud istos homines in eo esse positum vt cædes istas exequantur: quemadmodum Martyrum appellatione eos donare solent, qui vitam in conatu sceleris istius profuderint: viuunt in hac vrbe amplius tria hominum millia, quibus id quod iam dicturus sum, compertissimum est: Comoletum concionantem nuper ad Sancti Bartholomæi proximè præterito die festo natalis Christi, argumentum concionis sumpsisse ex tertio capite libri Iudicum, vbi agitur de illo Aode qui Regem Moabitarum occidit, consuluitque saluti suæ. Cumque ad mille ferè commenta de morte defuncti Regis protulisset, illamque

tygrim

tygrim ferisimam, illum Diabolum carne circumuestitum, Iacobum Clementem, mirificè extulisset, & in numerum Angelorum Dei cœlis euexisset, cœpisse tandem quàm maximâ potuit exclamatione dicere: *Aod nobis opus est: Aod nobis opus est: siue Monachus, siue Miles, siue Calo, siue Opilio, nihil refert, omnino tamen Aod nobis opus est: hic vnicus desideratur ictus, vt negotia nostra in eum statum adducantur, qui votis nostris commdissimus optari posset.*

Videte, Amplisimi viri, Dn. Consultisimi per Deum immortalem, etiam atq; etiam considerate obsecro & animaduertite, quovsque tandem noster ille stupor, ac potius ignauia nostra (ignoscite quæso dum ita loquor, iustus dolor me transuersum repit) audaciæ, insolentiæ, temeritatis, impudentiæ, proditores istos, & Pseudolos adduxerit, istos exploratores Hispanienses, istos infames sicarios, qui Dei cathedram occupare audeant, in proclamatione istius sceleris, Reges occidi oportere. Hæc germana, hæc pura puta doctrina ipsorum. Allinus, qui Gymnasiarchum agit Rhemis in Collegio Seminarij, ex professo librum de hoc Argumento scripsit. Atq; in hanc sententiam memini Guilielmum Parrium, quum iusta morte afficeretur, apertè exponere, quomodo *Benedictus Palmius* Iesuita docuisset ipsum, licere occidere atq; è medio tollere Reges & Principes, quoscunque Pontifex anathemate excommunicationis ferijsset, : qua de re postquam ex eo tempore sermonem cum docto quodam Sacerdote, cui Vatesio nomen, contulisset, ipsi Sacerdotem dixisse, propositionem illam falsam esse, & ipsum damnatum iri consilij istius causa: itaque incertum Parrium & pendentem animi confesionis ergò ad Iesuitam Annibalem Codretum abiuisse Lutetiæ commorantem (hic autem

is ipse est, qui in quodam libro Lugduni impresso non dubitauit scribere, ex eo nomen fuisse inditum Societati ipsorum, quòd ipsos Deus socios adhibuisset filio suo Iesu Christo, eosq; à Christo pro socijs acceptos & probatos esse) hunc autem Codretum sibi dixisse, fieri non posse quin Vatesius iste sit hæreticus, & confirmauisse nullum opus maioris meriti perfici ab ipso posse, & Angelos ipsos Dei in cœlum esse hominem subuecturos.

Vos igitur ô Reges & Principes terræ, nihil deinceps tuti, nihil inviolati in Basilicarum vestrarum penetralibus, nihil Sacri inter medias custodias vestras habituri estis, siquidem ista Diabolica propositio, quam ex imis inferis euomuit Satan, in animos imperiti populi illabatur: quemadmodum Iesuitæ isti continenter maledictis suis confessionibus insusurrare in aures cuiusque & inculcare solent. Nam etiam ad istud facinus Regulis suis obligantur, *Tyrannos*, inquiunt, *aggredientur, lolium ab agro Dominico euellent.* Isti in suis bullis & statutis certum articulum habent hac ipsa de causa positum. Nec enim annum probationis (vt vocant) expectare solent, statim excipiunt eos qui vltro se sistunt faciendis votis ipsorum: his factis, vt vt Idiotæ & imperiti sint, quisquis nomen dedit, citra exceptionem obligatus est & obstrictus Generali ipsorum: & tamen penes Generalem est potestas eijciendi miserum, quandocunque ipsi placuerit, donec sit professus: atq; hæc professio interdum non contingit, nisi post viginti quinque aut triginta annos. Quid autem, obsecro, in causa est, cur res adeò aliena, adeò repugnans ordini, adeòq; iniqua obseruetur? cur non est contractus iste inter vtrosque reciprocus? Nempe vt postquam hominem fortè ad annos quasi vigintiquinque secum habuerint suc

Sum. Const. p. 308.

rint, succeßiones eius, si quæ obueniant, sibi ipsis vendicent: sin autem nihil obuenerit, potestatem habeant ex numero suo eum excludendi, nisi instituat exequi quicquid in mandatis Patres misero dederint. Hoc pacto assequuntur isti, vt imprudens ille qui bonam ætatem suam integram apud ipsos consumpserit, dum hinc se ad incitas redactum videt, illinc promißionibus adductum certißimi Paradisi obtinendi, sine mora vlla aut cunctatione statuat cum animo suo, oportere vt aut parricida sit ipse, aut hortetur parricidas omnes qui ad se venerint, confitentibus absolutionem pronunciet, etiamq; sacramenti communicatione confirmet eos.

Quotiescunque mihi ipse ante oculos pono, in quas graues miserias ac intolerabiles, cùm nos omnes sigillatim, tùm verò generatim vniuersum Regnum Galliæ resq; tota publica fuisset deuentura, si ista cædes fuisset perpetrata, quàm dexteritate summa Varadius Gymnasiarcha Iesuitarum Barrerio persuaserat, quamquè tanta accuratione animo ipsius indiderat: quoties ad horrendam seruitutem illam respicio, in qua nunc iacêret Gallia, insolentiam & triumphales Hispanorũ παιανισμοὺς, flebilemq; statum vrbis nostræ amplißimæ, in qua superbe imperium suum Infans Castiliana esset exercitura: extorquet mihi ex ore veritas, confiteri cogor, me præ ira & indignatione iustißima extra me ipsum abripi, dùm video adhuc Sinonas istos, consceleratos istos, istos occisores Regum, istos publicos parricidarum huiusmodi confessarios, adhuc inter nos agere, adhuc vitam viuere, adhuc communi Galliæ cœlo frui. Viuere autem? imò verò in Palatijs agunt, excipiuntur humanis quibusque officijs, alieno subsidio subnituntur, nouas planè conspirationes, factiones, fœdera, & consociationes ineunt.

Quid ergò? si fortè Deus post dies aliquot permiserit comprehendi, siue Iesuitam vllum, siue alterum à Iesuitis edoctum, vt iste Meloduni fuit: putatisne, heus, vos omnes appello, qui vestris narrationibus subleuatis ipsos, aut qui prudentes viros, consideratos, sapientes, denique (vt vno verbo dicam) Hispanos agitis: putatisne, inquam, vobis in medio nostri securitatem fore? minimè gentium. Ad res omnes alias non potest nimium modestiæ, nimiumq́ ἐποχῆς, id est, moræ ac sustentationis, (vt ita dicam) adhiberi. Sed vbi vita, vbi salus, vbi conseruatio agitur Sacratisimi illius capitis, & Regno Galliæ tàm necessarij, sine quo iam de Republica actum esset, iam iam perpetuis tenebris obruta & sepulta esset, iamq́ vna de Prouincijs Hispani in numero ipsarum haberetur; hic profectò, hic inquam non potest nimium adhiberi ardoris & vehementiæ. Qui hic friget, qui hic modestus est, idem est proditor: hæ causæ ita comparatæ sunt, vt virtus ad eas in excessu consistat, non solum studij, verumetiam pasionis perturbationisq́. *Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis virisq; totum orbem, clasibus maria consternat, inusitatas belluas inducat, tu nos præstabis inuictos, Rex inuictißime. Sed quis hoc Galliæ columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest*, si homines illi, qui asiduè in vitam ipsius moliuntur, qui sicarios submissos Lugduno, quum adhuc ciuitas rebellis esset, & Hispanicis partibus addicta, excipiunt, si denique ij, qui religiosos desperatione torquentes populum indesinenter exacerbant contra Maiestatem Regiam, ij inquam defenduntur & seruantur incolumes in Regno illius?

Conruptio iuuentutis. Atquin hi iuuentutem docent: quid autem? certè expetere & optare docent exitium suorum Regum. Plurimum abest, vt criminum pœnam, quorum Iesuitæ affines

affines ſunt, mitigari oporteat ex inſtitutionis illius, quam iuuentus percipit, contemplatione. Ex contrario enim, hoc illud eſt, cuius cauſa grauiorem pœnam & infinitis modis acerbiorem infligi neceſſe eſt. Hæc enim bella ſcilicet iuuentutis eſt inſtitutio, hæc indigniſsima funeſtiſsimaq; axiomata, quæ in teneram mentem ætatis illius ingeruntur, dum præ ſe ferunt inſtitutionem literarum humaniorum: *Vt venena non dantur, niſi melle circumlita, & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie vmbraq; virtutum.* Hæ audaces ille confeſsiones ſunt, quum procul ab omni teſtium conſcientia imbuunt ſcholares ſuos cortina rebellionis contra Principes & Magiſtratus ipſorum, qua fecerunt vt occupata teneantur loca plurima & officia plurima honoreſq; ſummi fuerint crediti animis Hiſpanicis Regi & Regno toti inimicantibus. Hæc opera iſtorum perfecta ſunt.

pucrorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit

Non deſunt quidem de numero eorum, qui ſcholæ Ieſuitarum dederunt operam viri boni & iudicio valentes, qui perſuaſiones ipſorum exſpuerunt: atq; hi millies ampliore Ieſuitas odio proſequuntur, quàm ij faciant quibus iſti nondum ſunt cogniti. Sed quotus quiſque eſt ex eo ordine? certè vix de centenis quos virus illorum infecit, vnum comperias reſtitiſſe, quin eorum veneno infectus hæreat.

Apud Dionem lib. 52. legimus, à Mœcenate fuiſſe Auguſto Cæſari expoſitum, nullam commodiorem viam exiſtere ad ſtabiliendam in imperio tranquillitatem ipſius poſterorumq;, quàm vt curaret iuuentutem Romanæ nobilitatis literas doceri eorum opera, quibus in amore eſſet Monarchia: nam breui tempore quodammodo nouatum iri mundum & iuuentutem illam

 momento

momento ad gratia amplaque munera euectam fore. Eadem ratione periculosius nihil potest contingere, quàm vt liberos nostros per emissarios istos Hispaniæ curemus informari: quibus nihil tàm est odio quàm Gallica nostra Monarchia.

Id profectò omnium est facillimum, vt in istis infirmis ingenijs eiusmodi studium ac cupis ingeneres: difficillimum verò, vt auellas ipsum. *Altius enim præcepta descendunt, quæ teneris animis imprimuntur.* Certè non Eurotas ille fluuius Laconicæ strenuos & bellicosos viros efficiebat, sed optima illa Lycurgi institutio: sic etiam hoc nostro tempore, non Sequana, non Garumna malos Gallos tàm multos efficit, sed Collegia Iesuitarum, Parisijs, Tholosæ, & Burdegalæ instituta, hoc malum ingenerant. Ex quo scholarum istarum Alumni in administrationem munerum ingressi sunt, *maiorum mores, non paulatim, vt anteà, sed torrentis modo præcipitati sunt.*

Habet quidem Christiana Religio nostra omnes summæ iustitiæ & vtilitatis notas: sed ante omnes hæc est euidentissima, quòd accuratam habet commendationem obsequij erga Magistratus, & ordinem Politicum omnibus in rebus asserit. At homines isti qui sese prædicant ad societatem Iesu pertinere, ad finem alterum non contendunt, quàm vt legitimas potestates subruant, ad stabiliendam vbique locorum tyrannidem Hispanicam, & in hoc studio informant animos iuuentutis: quam homines simplices ac nimium creduli se putant illis concredere, vt instituatur in literarum scientia, religionis veritate, ac pietatis sensu.

Prò superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent: ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemq; à crimine sumit.

Cartha-

Carthaginenſes olim ſuos ipſorum liberos Saturno leguntur ſacrificauiſſe, & coactos religione parentes fuiſſe, vt inhumano iſti ſacrificio cum læti animi ſignificatione intereſſent. Ecce rem admirabilem memoria noſtra, vidimus ipſi, vidimus illud tempus, quum is qui non curabat liberos ſuos ſtudijs operam dare Ieſuitis præceptoribus, non habebatur pro bono Catholico, qui verò in Collegio illorum verſati erant, ijs liber ad omnia dabatur aditus, nihil amplius quærendum aut cognoſcendum de vita ipſorum videbatur. Itaque parentes miſeri cedentes iniuriæ temporum, cogebantur liberos ſuos amittere, qui aut faſcino Ieſuitarum, aut etiam non infrequente raptu ipſis adimebantur planè, ſi forte Ieſuitarum conſilio ita videretur. *Eripiunt liberos parentibus.* Extant huius rei luctuoſa exempla plus ſatis, & vnicuique exploratiſsima: extant publicæ quærimoniæ in poſteritatem tranſmiſſæ contra crudeles iſtos & inhumanos plagiarios, qui liberos à conſpectu & complexu parentum auellerunt. Quin etiam ſæpenumerò totum columen & fulmentum familiæ vnius furtim abſtulerunt: quemadmodum Domino Airalto Legato criminalium cauſarum apud Andes factum eſt: qui quum octonis liberis paruulis in hac ſenectute ſua onuſtus ſit, vidit ſibi Ieſuitarum opera filium natu maximum eripi, qui iam paternum munus potuiſſet capeſſere, & officium Patris erga fratres ſororeſq; ſuas, quæ omnes fermè ætate puerili ſunt, facere: hunc illi annum decimumquartum iam agentem ſuſtulerunt patri, & in Italia Hiſpaniaq; ſic apud ſe detinent, vt nunquam de eo quicquam vel minimũ potuerit cognoſcere, quamuis monitionibus & cenſuris Eccleſiaſticis aduerſus plagiaros iſtos expertus ſit. Has enim iſti ludificantur liberè, ſatis habentes vnica abſolutione, quam Generalis ipſorum, Hiſpanus homo, ſubmiſerit. Interea

Eripiunt bona familijs.

Interea verô vbi Airaltus ille vitam cùm morte commutauerit, postulabunt Iesuitæ ius primogeniti in bona ipsius, nam votum paupertatis nunquàm vouerì antè curant, quàm omnis spes succesśionis exempta sit: Deinde verò antequàm profeśsi reddantur, omnia sua bona iubentur Collegio transdare: itaque nihil redit foras, omnia feruntur intrò, & ab intestato, & ex Testamentis, quæ isti singulis diebus captant diligentiśsimè, animis propinquis morti hinc inferorum horrorem ante oculos exponentes, illinc commonstrantes Paradisum apertum ĳs, qui societati Iesu liberaliter atq; profusè daturi sunt: quemadmodum Maldonatus fecit Præsidi Montbrunensi, qui à Sancto Andrea dictus est, quum extorsit ei bona mobilia omnia, & res omnes antè partas, dolo confeśsionis vnius plenæ auaritia & fraude: à qua Dominus Pibracius, tanquam iniquè probata, prouocauit in Senatu palàm. Neq; ignotum est testamentum illud, quod per Goudranum Diuionensem Præsidem fieri curauerunt, quum sororem suam germanam, suam hæredem vnicam aspersit dimidio coronato aureo, & septenas millenas libras prouentus annui in Iesuitarum corpus transportauit. Nec illud obscurum, quomodo familiam Bollonum, quæ vna ex potentiśsimis fuit Burdegalæ, diripuerunt commodo suo, & (quod exemplum est recentiśsimum) qua ratione obtinuerunt ius primogeniti in familia Præsidis Burdegalensis à Largobaculo dicti, eoq; nomine agrum Faiollarum sibi vendicarunt. quem agrum vænum dederunt coronatis duodecies mille, pecuniamq; illius in Hispaniam transmiserunt in thesauro ipsorum asseruandam. In Gallia enim nihil omninò seruari curant, præterquàm ea immobilia, quæ conditione non alienandi ipsis legata sunt.

Prætereà nemo neſcit, qua fraude vnicum fratrem Domini Marchionis Canillacenſis rapuerint: qui iam iam octies millenas libras habet reditus annui, & ſecundus hæres amplius quadragies quinquies millenarum eſt, hunc verò cauebunt artifices iſti diligentiſsimè ne adigant paupertatis votum, tantiſper dum ſpes aliqua ſucceſsionis à fratre maiore futura eſt: qui non coniugatus eſt, ſed vitam ſuam quotidie exponit belli periculis ad ſeruitium Regis, à quo honores vicarij Regij in Aruernia adeptus eſt. Neque dubium eſt, ſi quid illi humanitus accideret, pro vt iudicia ſe habent, quæ ſecundum ipſos hactenus facta ſunt, quin Marchiones Canillacenſes futuri Ieſuitæ eſſent, familiamquè illam, quæ ex ampliſsimis, locupletiſsimis, & illuſtriſsimis totius Aquitaniæ vna eſt, funditus euerſuri.

Gentem noſtram fermè plerique omnes accuſauerunt imprudentiæ nomine: Iuſtitiæ, liberalitatis, fortitudinis, animiq; habemus quidem ſatis, atq; adeò plus ſatis: ſed prudentiæ nequaquam. Et quàm ſupinum eſt, quàm imprudens iudicium, amabo vos, quòd homines iſtos probemus, quum præ ſe ferunt contemptum aliquem binorum fortè ſolidorum ad ſcholæ aditum, & aliquantuli minerualis: & tamen videmus eos triginta annorum ſpatio ducenties millenas libras in prouentum annuum feciſſe quæſtus?

Eia age, nobiſcum ſic quæſo paciſcere, triplex
Accipias pretium, legataq; cuncta relinquas,
Abſtineasq; manus alieno, & munera temnas.
Sed pietas iam nota tua eſt, animusq; benignus:
Magna petis, qui parua fugis.

In noſtra hac Academia nunquam fuit à pauperibus quicquam poſtulatum, ſed ſi quis puer maioribus honeſtis natus ad coronatos quatuor aut quinque dona-

 uerit

uerit ei qui toto anno ipsum instruxerit, potestne vir bonus hoc in malam partem accipere? nonne ex æquo bono est, vt qui ætatem suam in literarum studijs consumserunt, aliquid habeant *vnde toga niteat?* hoc si quis denegauerit, non modò non dat operam paupertati alleuandæ, sed etiam contra in abyssum deturbare pauperem videbitur: Olim egenti iuueni, quisquis tandem esset, ratio erat exposita qua inter diuites commodè elaberetur tempusq; ætatis suæ transigeret ad annum vsque vigesimum, aut etiam alterum atq; vigesimum: tum incipiebat quasi emergere, & compendij aliquid facere. Hæc ratio iuuenes mille quotannis ad studia adducebat, alebatq;. Sed postquam Iesuitæ studiosos ad se pellexerunt, iam animos omnino abiecerunt multi: vt *sublatis studiorum præmijs, studia pereunt.* Maximi quique & præstantissimi inde à summa antiquitate viri æquum esse duxerunt, vt ijs qui iuuentutem instruunt scientijs, tribueretur sua compensatio: & accedit ad hanc rationem communem ipsa necessitas. *Super omnibus negotijs, melius atq; rectius olim prouisum: & quæ conuertuntur, in deterius mutantur.*

Et tamen hi boni viri venenarios astutos imitantes, qui nunquàm crassum veneni sui boletum inijciunt, sed cibo aliquo delicato & fastidioso solēt subtili arte adiungere atq; confundere, nullam viam commodiorem inuenerunt qua studiosos ad se perducerent, quàm abolitis illis minerualibus quæ olim obtinuerunt. Effrenis enim iuuentus longè magis optat sumptus facere *in locis ædiles metuentibus,* & pecuniam à parentibus transmissam ad se licenter profundere, quàm numerare eam præceptori qui toto anni curriculo de commodis ipsius studijsq; laborauerit officiosissimè.

Atq;

Atq; hæc quidem omnia non faceremus tanti, nisi fascinorum & sortium quas Iesuitæ, in iuuentutem adhibent, rationem videremus habendam esse. Sed quemadmodum curabant olim Romani studiosissimè, vt Nobilitatem Gallicam Augustoduni instituerent, eamquè alerent & educarent tum in beneuolentia iusta erga imperium ipsorum, tum in obliuione pristinæ Gallorum libertatis: non secus ille Tyrannus Hispaniæ Iesuitas habet, tanquam statiuis suis, in Gallia dispositos, qui amorem nominis sui & dominationis suæ in teneris mentibus liberorum nostrorum ingenerent. *Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt: quæ si bonus cultor excipit, similia oridinis prodeunt: sin malus, non aliter quàm humus sterilis ac palustris necat, & deinde creat purgamenta pro frugibus.* Etiam quemcunq; laborem & molestiam posteà subiueris ad conuellendas opiniones eiusmodi, frustra est: *stomachus enim morbo viciatus quoscunque accipit cibos, mutat.* Itaque tandem ad metum humanarum legum atquè ad vim confugiendum est, *& magno timore magna odia compescenda. Sed fidelius & gratius semper est obsequium, quod ab amore, quàm quod à metu proficiscitur.* Quicunque ab Aspide fuerunt icti, quam vocant Dipsadem, ij perpetua quadam siti infestantur præ veneni illius acrimonia, quod in omnes corporis venas serpens totum sanguinem exsiccat, & ita exhaurit vt nihil nisi bibat æger nec tamen expleri ad satietatem posit. Sic qui venenata ista & pestilente Iesuitarum institutione semel imbuti sunt, vruntur asidua siti ac desiderio perturbandi negotia publica Patriæ suæ & dominationem Hispanicam promouendi.

Iuuentutem amore imbuunt nominis Hispanici.

Nota est in vulgò historia Lusitaniæ, iam diu Rex Philippus oculum ad vicinum illud Regnum Lusitaniæ adiecerat: sed fieri non poterat nisi morte Regis

& pleræque nobilitatis Lusitanicæ, vt illud Regnum in leges suas cogeret. Hic Iesuitas occupat, qui erant ad latera Sebastiani Regis, seque in Regione illa Apostolos vocari iubent. Isti mille artibus & technis veteres quosque famulos & administros ipsius, etiam Petrum Alcassonensem ipsum Secretarium Regni expungi curant: & autores ei sunt traijciendi in Africam, vt inimicos longè valentiores & potentiores ipso inuaderet. Aggressus est: sed cum iactura vitæ, tum suæ ipsius, tum totius fermè Nobilitatis Lusitanicæ. Postea Regnum Cardinalis obtinuit, sed minimè diuturnum: quo temqore Iesuitæ dolos suos tàm aptauerunt commodè, vt statim post Cardinalis obitum Rex Antonius, quem omnes Ordines Regem salutauerant, ex continente eijceretur, quum die vnico omnes portus & naualia Maris ad defectionem à Rege suo adduxissent, adeò vt miser Rex mutata veste milliaria amplius quadringenta coactus fuerit pedibus conficere. Stabant adhuc à partibus Regis Antonij Insulæ Terceræ quarum permagna erat commoditas, & quæ totam nauigationem Indiarum diuellebant. Eò perruperunt Galli, Domino Commendatore Chattensi Duce: omnes Insularum Incolæ, itemque religiosi Franciscani, & alij sese studiosissimos erga suum Regem esse ostendebant, & iuratissimos Castilianorum hostes. Contrà verò Iesuitæ, qui reliquas partes illius Regni perfidis sollicitationibus ad defectionem perduxerant, cœperunt fulmina venalis suæ vocis in Gallos iaculari & extollere Philippũ Regem. Quid hîc nostri? pro eo quod in Mare proijci ipsos oportuerat, aut certe ex Insulis confestim eijci, id fore satis visum est, si obducto muro includerentur in Claustro ipsorum. Atque hæc ipsa res copiosè narratur in Historia Genuæ excusa ad Mandatum Regis Hispaniæ,

Vnio Lusitaniæ ad tyrannidẽ Hispanic: opera Iesuitarum procurata. Vnioni Portugal. fol. 9. & 10.

Vnio Por. fo. 197. b.

niæ, quæ tota in gratiam ipsius contexta est: Ac propterea quicquid de Iesuitis in ea habetur scriptum, ipsis honori & laudi vertitur, vt qui præcipua fuerint instrumenta conciliandæ vnionis istius, qua Lusitania sese adiunxit Castiliæ, quemadmodum etiam præsens ipsorum labor & opera non fertur aliò, quàm vt vnionem consimilem adhæsionemq; procurent Galliæ ad Regnum Hispaniæ atq; perficiant.

Quid tum boni Iesuitæ: vbi tempestiuum esse animaduerterunt, muros portis suis obstructos vna & eadem nocte deiecerunt, atq; in eis proposuerunt Sanctum Sacramentum Altaris, illudentes Deo, & Sacris Mysterijs eius ad seditiones mouendas abutentes, cœperuntq; tàm bellè & commodè sollicitare animos populi vt refrixerit à consociatione Gallorum, quorum copiæ imperio Mareschalli Strossæ agebantur, & qui hac ratione fusus est. Hic verò arrigite aures obsecro, quicunque me dicentem auditis. Narrat historia proceres viginti octo, & Nobiles Gallos quinquaginta duos vno die in vno eodemq; pegmate Villæ Francæ decreto Hispani fuisse excarnificatos, & suspensos milites innumeros. Refert eadem historia, eiusdem belli temporibus Franciscanos quingentos, aut alios religiosos, qui concionati fuerant aut aliquid dixerant de causa Regis Antonij, morti fuisse traditos. Hæc Iesuitarum præcepta: occidite, trucidate, suspendite, excarnificate, ac proinde videmus eos, qui confessionem peccatorum suorum in Regno Galliæ apud Iesuitas ædunt, & vberibus aluntur ipsorum ita feros & cruentos esse, vt alij alijs violentas injciant manus. *fol. 214. b.*

Narrat Ammianus Marcellinus lib. 27. historiæ suæ ad Pontum Euxinum populum extitisse Odrysas dictos, *qui ita humanum sanguinem fundere erant assueti, vt si*

hostium copia non daretur, ipsi inter epulas suis corporibus ferrum imprimerent. Hi verò aliorum sanguine alij cruentant manus, cum tamen copias hostium adhuc procedere videant innumerabiles & in agro promiscuè grassari. Ite igitur, ô viri Nobiles, sequimini (si Deo placet) istos Iesuitarum discipulos, vt ad primam quamque vertiginem persoluant vobis prætium officiorum vestrorum pugiunculorum suorum ictibus: & si fortè per ipsos res vestræ optimè cesserint, saltem vt efficiatis aliquem angulum Galliæ *Maurorum prouinciam, & ex Bœtica jura petatis, quanto pulchrius erit vestra fide communi, vestris communibus viribus imperium retentum atq; omninò recuperatum esse?*

Macte igitur animo, ô præstantissimi atq; Indomiti Nobiles Galliæ, pergite vos restituere omnes atq; adunare in corpus vnum exercitus. Deus protector Regnorum, Deus qui semper suum illum oculum misericordiæ aduertit ad Regnum Galliæ in maximis illis calamitatibus, hic proculdubio amorem & concordiam in medio vestri implantaturus est: hic vobis frontem horrore circummuniet, vigore brachium: hic vobis immittet Angelos suos per quos confirmemini, vt exterminetis breui ex Gallijs omnes istos putidos Castilianos & crepantes superbia.

Dicebat Alexander Magnus Antipatrum albis vestibus indui, sed intus rubere totum. In hunc modum extant nunc quàmplurimi, qui in speciem administri sunt Regis & in rem suam ipsorum optimè res secundas Regis vertere didicerunt, sed intus toti rubent, toti Hispani sunt. Veruntamen homines isti, qui Iesuitarum opera indigent vt nefaria consilia sua exequantur, non continuò audent aperteq; dicere Iesuitas in Gallia sinendos esse (nam qui hoc dixerit, perinde est planè

est planè ac si crucem rubram prætulerit) sed hoc dicunt, intempestiuum nunc esse vt expellantur Regno, & argumenta considerationum adferunt, ad quæ singula respondebo. Antequam verò id faciam, necesse est firmissimum ipsorum propugnaculum destrui, quod versatur in constitutione iudicij à Consilio facta anno 1564. Aduersus hoc firmamentum illorum vtar quinque responsionibus, quarum minima plus satis ad labefactandum firmamentum istorum futura est.

Primus locus responsionis est, actionem illam siue instantiam anni 64. extinctam esse, non trium solummodò, sed triginta annorum spatio. Quod autem adfertur non perimi actiones, siue peremptionem instantiæ non obtinere in Parlamento locum, id tum demum verum est, cum propè est vt lis iudicetur. In hoc autem casu tantum abest vt lis Iesuitarum eò deducta sit, vt contrà ne acta quidem litis ad cognitores comportata sint: quæ actio prima est omnium, per quam aditus parari solet ad constitutionem iudicij in consilio legitimo.

Quinq; responsiones ad iudicij constitutionem á consilio factam anno 64.

Secundus locus responsionis est, actionem anni 64. ab actione huius anni differre quàm maximè. Nam primum qualitates, seu conditiones diuersæ sunt: tum enim Iesuitæ actores erant, nunc autem defensores & rei. Secundo tum agitabatur quæstio vtrum priuilegijs Academiæ fruituri essent, nunc verò agitur cognitio vtrum ex Gallia exituri. Postremò cum per illud tempus de iudicij constitutione in causa ipsorum agebatur, iudices id sibi voluerunt, vt postulatum ipsorum denegarent: nunc verò quid esset à consilio iudicium constitui in hac causa ad vitam Regis pertinente: quàm interea temporis sicarios istos in medio nostri alere, qui nihil tàm sitienter & furenter expetunt quàm mortem illius.

Tertiò inter annum 64. & hunc nostrum annum 94. summa est diuersitas. Nam illo anno formidabatur malum quod accidit, & multi ne præsumere quidem voluerunt, decepti lenibus ac mellitis istorum hypocritarum verbis:

Quis te tàm lene fluentem
Moturum totas violenti gurgitis iras,
Nile putet?

Ecquis temporibus illis vel præcipere animo potuisset se Lutetiæ in vrbe visurum accensos Hispanienses, qui has speciosas & amplas vrbis plateas calcarent pedibus, subnixis alis sese inferentes, oculo truci, rugosa fronte, segni ac graui passu.

Ecquis ad Ausoniæ venturos limina Troas.
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moueret?

Anno illo 64. nondum fuerant auditæ Patris Bernhardi & Comoleti voces Regem Holophernem, Regem Moabitarum, Neronem appellantium, & confirmantium Regnum Galliæ electiuum esse, atq; auctoritatem stabiliendi Reges ad populum pertinere: deniq; hunc locum veteris Testamenti in hanc sententiam adducentium, *eliges fratrem tuum in Regem: fratrem tuum*, inquiebant illi, non ex eadem stirpe aut ex eadem gente siue natione, sed eadem religione iunctum, vt Magnus ille Rex Catholicus est, Magnus ille Hispaniarum Rex. Quin eò impudentiæ Comoletus venit, vt teterrima blasphemia ausus sit dicere, his verbis, *eripe me Domine de luto, vt non infigar*, Dauidem Spiritu Prophetiæ intellexisse hoc dictum & sensisse, de familia Borbonia. Dum hi motus extiterunt, animus fuit illis instituendi Pictavii Iesuitarum Collegium, adfirmantibus procerem quendam virum diuitem & religiosum maximè constituisse octingentos coronatos reditus annui ad fundationem

Nam lutũ Gallis dicitur bourbe vel bourbier.

dationem collegij istius numerare, postquàm vero diu multumque cum ipsis actum est, ut cognosceretur quisnam ille donator esset, nec alterũ quemquam possent subijcere, tandem inviti coacti sunt agnoscere atque confiteri hunc Regem Hispaniarum esse: qui nunquam certè dubitaturus est, nunquam recusaturus rem adeò pusillam expendere, ut eos homines apud nos alat, qui nobis tam exitiosi sunt, & tantum periculorum adferunt. Hæc ita se habere testati sunt uno ore Pictavienses deputati omnes, qui operam suam consumpserunt ut Pistauium restitueretur maiestatis Regiæ obsequio.

Anno 64. Iesuitis nondum erat liber ille vitæ, in quem posteà retulerunt quicquid confessionibus suis ab eo tempore didicerunt de arcanis rebus familiarum, percunctando famulos & seruos non tam de fide conscientiaque eorum, quàm de sermonibus qui à parentibus Dominisque ipsorum habebantur, ut qua conditione singuli nostri sunt cognoscerent. Comoletus concionem in arce Lutetiæ habens (Bastiliam vocant) apud Amplissimos Dominos qui in vinculis illic tenebantur, ineunte Anno 1589. dicebat ijs, postquam innumeras blaspemias impudentissimo ore eructasset, eum qui antè Rex ipsorum fuerat iam non amplius esse: meditabatur nempe iam eo tempore cædem, quam posteà patrari curauerunt. Quum Troueus & Capitaneus Aubrius in eundem carcerem Lutetianæ arcis per Busium Clericanum coniecti sunt, non fuit consilio Quadraginta virorum tantum auctoritatis ut eos inde eximerent: sed unus Comoletus, solus inquam ille, tanquam alter Orpheus sua auctoritate eduxit ipsos: usque adeo sedecim prædones à nutu Iesuitarum pependerunt. Postquàm de electione pontificis, qui sedem obtinet hodierno die, fuisset cognitum? Comoletus, qui ex Cathedra descenderat, denuò con-

 scendit

ſcendit eam, & repentè exclamare cœpit quàm maxima voce: Audi Politice, audi, res nouas intelliges: habemus Pontificem, & quem? bonum Catholicum: quem amplius? bonum Hiſpanum. Abi Politice, & ſuſpende te. Non fuerunt ſermones illi, quibus Ieſuitæ anno 64. vtebantur. Scribit quidam vetus auctor: *Serpentes parvulæ fallunt: vbi aliquam ſolitam menſuram tranſijt, & in monſtrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & ſi afflauit deurit quacunque inceßit, baliſtis petitur: poſſunt euadere mala naſcentia, ingentibus obuiam itur.*

Elegans eſt dictum illud Liuij: *antè morbos neceſſe eſt cognitos eſſe quàm remedia eorum; ſic cupiditates prius natæ ſunt quàm leges, quæ eis modum facerent.* Plato ferme in principio libri de legibus primi, Minoem ſcribit nono quoq; anno profectum eſſe, vt ex Ioue cognoſceret, quas leges Cretenſibus laturus eſſet: propterea quod tempore ſic mutantur & variant omnia, vt quæ res hac tempeſtate videtur optima, eadem comperiatur damnoſiſsima perniciosiſsimaq; in alio tempore. *Vſu probatum eſt, leges egregias, exempla honeſta ex delictis gigni: nam culpa quàm pœna tempore prior, emendare quàm peccare poſterius eſt.*

Adeatur Dominus Illuſtris Marchio Piſanienſis: is vobis teſtaturus eſt inde ab anno 64. ex quo tempore Legatione fungitur & res Galliæ in Hiſpania & Italia agit, nunquam ſibi magnum vllum fuiſſe negotium, quin Ieſuitam ſecum in eo tractando committi viderit. Rogate eos, qui omnes literas de rebus maximis hoc calamitoſo bellorum tempore interceptas perlegerunt, & notas illarum explicarunt: ij vos confirmabunt nihil à ſe perniciosi aut improbi fuiſſe lectum, quin adhibita fuerit opera Ieſuitæ. Et (quod factum eſt recentiſsimum) Lugduni, poſtquam rediјt Oppidum in poteſtatem Regis, Ieſuita quidam quum Miſſam cantare incepiſſet, vt

vidit

vidit nobilem quendam synthesi alba instructum, proripuit se repente extra Ecclesiam populo frequentissimam, futurum sperans vt seditionem hac via excitaret: quam rem pôst etiam tentauerunt ab eo tempore, & vrbem illam (cuius dignitatem grauitatemq́ nemo ignorat) tandem perdituri sunt, nisi quamprimum de auctoritate sententiaq́ vestra expellantur.

Quartus responsionum locus hic est: quisquis contra modificationes, & conditiones venit, ex quibus res vlla sancita & confirmata est, eum commodo priuari est æquissimum quod inde percepturus esset. Atqui inde ab anno 64. Iesuitæ fecerunt omninò contra quàm conditionibus Possiaceni illius Consilij prouisum erat: etsi hæc vnica est approbatio, quam à se in Gallia babitam possunt obtendere. Primum enim contra illius conditiones venerunt, quia retinuerint Iesuitarum nomen: quod disertis verbis fuerat vetitum. Nam gloriosum illud nomen IESV singulariter vnico seruatori mundi fuit reseruatum: nec inter Christianos post omnem hominum memoriam quisquam tàm præfidens & ambitiosus inuentus est, qui illud sibi priuatim aut publicè, seorsim aut in communi tribuerit. Quin eò prolapsi sunt impudentiæ, vt illud nomen suis thesibus vsurpauerint, quibus *mellea delenifica, & suada oratione aliud clausum in pectore habentes*, aliud promptum in lingua, ante menses tres conati sunt assentari ijs, quos detrusos cuperent in profundissimum Barathrum Inquisitionis Hispanicæ. Accedit alterum, in quo à Passiaceno Concilio discesserunt, cuius auctoritate Collegium quidē recipiebatur, sed religiosa professione reiecta ipsorum. Tantū enim ausi sunt facinus vt religionem suā in medio vico S. Antonij velut Tropæum statuerint: vbi hoc etiam tempore grauissimum suæ

Venerunt directè contra Possiacenum concilium: eoque irritū est expressa clausula et Iesuitæ in Galliā non admittendi.

illius impudentiæ documentum adhibent, istud quod in suis Casulis plena insignia Franciæ gestant cum Galero Cardinalitio super imposito, ut affirment palàm se invito Rege, cui nullo iuramento fidei obstricti sunt, quemque voluerunt & singulis diebus volunt per sicarios è medio tollere, quòd Carolus Decimus nescio quis Rex Francorum extiterit agnoscere, quo regnante spem habuerint se hoc quoque Regno idem effecturos ac fecerūt Regno Lusitaniæ, dum Cardinalis alter rerum potiretur. Tertiò posiacenum illud Concilium ipsorum disertè cauerat, ne quas bullas obtinere possent restrictionibus aduersantes, quæ in iudicio illo continebantur: quòd si ullas obtinerent, præsentem concessionem fore irritam, nullumque effectum & vigorem habituram; quæ res eadem conditione verè confecta est. Isti verò bullas adeò contrarias Posiaceno illi consilio assequuti sunt, ut earum bullarum auctoritate quicunque limitationes, exceptiones, & restrictiones ad priuilegia institutaque ipsorum adhibuerint, excommunicati pronuncientur maiore excommunicatione; neque solum illi, verumetiam quicunque disputare de ĳs præsumpserint, licet id duntaxat facerent ad investigandam veritatem. hæc enim ipsissima verba sunt bullæ ipsorum Anno 1584. perscriptæ: *suisque præpositis in omnibus & per omnia obedire; & huic sedi immediate subiectos, & à quorumuis ordinariorum, & delegatorum, seu aliorum Iudicum iurisdictione omninò exemptos; prò vt Nos etiam vigore præsentium eximimus.* Hoc verò ex diametro pugnat cum illa consilĳ Posiaceni clausula: *ea lege vt in societatem Collegiaq; prædicta Episcopus* diocesanus omnem habeat superintendentiam, iurisdictionem, & correctionem, ex quo sequitur necessariò, Posiacenum illud consilium ipsorum manere irritum cùm ex dispositione iuris quam modò diximus, tum verò ex clausula

perimente

perimente alia quæuis acta, quæ conuentu illo Posiiaceno expressa est, hoc modo: *renunciabunt ante omnia & expreßè priuilegijs omnibus in bullis eorum comprehensis, quæ rebus antecedentibus aduersantur. Aliaquin, hoc nisi præstiterint, aut si qua alia deinceps in futurum obtinuerint, hæ literæ manebunt irritæ, nullum effectum valoremque vllum habituræ.* Sed en vobis clausulam bullæ ipsorum anno 84. perscriptæ longè diuersissimam: qua clausula cùm nos qui aduersus ipsos dicimus, tum vos, amplissmi viri, qui de ipsis cognoscitis, tum illi ipsi Posiianceni Iudices, qui ita decreuerant, omnes ad vnum excommunicati sumus. *Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia & beneffcia secularia, & quorumuis ordinum reguleria eo ipso absque alia declaretione incurrendis, quarum absolutionem nobis & successoribus nostris reseruamus: ne quis cuiuscunque status, gradus, & præeminentiæ existat dictæ societatis institutiones, constitutiones, vel etiam præsentes, aut quamuis earum, vel supradictorum omnium articulorum, vel aliud quid supradicta concernens, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore directè vel indirectè impugnare, vel ijs contradicere audeat.*

Qui indagare veritatem audent, contra Iesuitarum fraudes, excommunicatos esse.

Quintus & postremus responsionis locus, ne quid in hac causa tam graui dissimulemus, cuius promptum & celerem exitum tam ardentibus votis omnes boni desiderant, hic est. Quis nescit anno 64. neminem hominem in hoc loco ea fuisse audacia præditum, vt liberè quicquam posset effari aduersus coniurationem Hispanicam? *trepidi erant omnes boni & elingues: quum dicere quod nolles, miserum; quod velles periculosum,* rotæ, cruces, patibula, non fuissent condigna satis supplicia ijs qui tantum audaciæ sibi arrogassent. Iam verò, ô exploratores Hispanici, quid vobis in mentem venit, quod hodierno die adducatis ad defensionem vestri? An quod vos hactenus dissimulauit

mulauit Gallia? atqui hoc ipſum eſt contrà, cuius cauſa vos de Gallia velocius depelli neceſſe eſt: nimirum vis, violentiaq́, & Tyrannis veſtra, veſtrorum adiutorum, Hiſpanorum veſtrorum, qui nobis conſtrinxerant manus, qui nobis ora præcluſerant, qui vobis animi tantum addiderant, qui vocem veſtram tantopere confirmauerunt, qui deniq; vos adeò extulerant, ceruices impotentes veſtras, *vos, inquam, homines ſceleratiſſimos, cruentis manibus immani auaritia nocentiſſimos atq; ſuperbiſſimos, quibus fides, decus, pietas, poſtremo honeſta atque inhoneſta omnia quæſtui ſunt.*

Reſponſio ad illud non ſolos Ieſuitas improbos eſſe.

At hi ſoli, dixerit quiſpiam, non ſunt apud nos improbi. Noui: ac propterea eò peiores affirmo eſſe. Nam ſi hi pernicioſi fuiſſent ſoli, fuiſſet leuius futurum malum noſtrum: magnus Gallorum numerus, quos iſti corruperunt, miſerias noſtras nobis apportauit. Et tamen vellent homines iſti hodierno die & appeterent latitare, ſeque in turbam iſtam intrudere vt ſint obſcuri, *ſocietati culpæ inuidiam declinare cupientes, quaſi publica via errauerint.* At ex contrario ſtatuimus, quo plus improborum fuit, eò plus fructuum Ieſuiticorum extitiſſe. Prætereà tota iſta ſedecim virorum aſſeclarumq́ ſentina, omnes iſti malorum Principes, nonne iam ſunt in itinere Hiſpaniam verſus, æternum à cœlo Galliæ exulantes, quod tàm longo tempore fecerunt peſtilentiſsimum? eho, quid ergò hic adhuc Ieſuitæ agunt? quid agant, rogas? nonnè id videmus ſatis? quas factiones, quæ conſilia violenta, quas corruptiones, & quas fermè ſeditiones iam non commouerunt? Credite, ampliſsimi viri, credite illis non fruſtra abire tempus: iſti animi inſtabiles, *ad excogitandum acutiſſimi, ad audendum impudentiſſimi, ad efficiendum acerrimi,* non otioſi, non inutiles ſunt, ſingulis diebus literarum faſciculos ex Hiſpania, omnibuſq́ Galliæ par-

tibus accipiunt, quos Suessiones deferri curant: ipsi, ipsi inquam extra vrbem exportant eos (nam qui Iesuitam scrutatus fuerit, crimen patrauerit læsæ maiestatis Diuinæ. nec ullus adhuc Capitaneus extitit, qui facinus istud ausus fuerit aggredi) ipsi in conclaue suum, consiliis habendis destinatum intromittunt eos quos volunt contra Rempublicam & ciuitatem hanc aliquid machinari: modò præ se ferant in Ecclesiam aut ad confessionem peccatorum abire apud Iesuitas, quis ea audacia futurus est, vt nescio quas reliquias sedecim virorum aggrediatur, quæ in Capita nostra coniuraturæ sint? ergo ne patiemur semper nobis hypocritas istos tàm dignè illudere? ergo ne semper barbarorum illorum similes futuri sumus, qui machinas bellicas ludificabantur, quum aduersus muros suos aptarentur, donec se grauiter quassari illis senserunt, & irruptione superari? an permissuri sumus vt inimici nostri tabulata recolligant sui naufragii? vt Iesuitæ nouas artes nectant, suasquè factiones informent denuò in mentibus & conscientiis populi, qui nunquam non superat multitudine?

Responsio ad illud quid dicetur Romæ

Quanquam in hac causa nihil tàm videtur dignum admiratione, quàm si de modo cogitemus, quo obtineri potuit vt dilationes expectarentur, iurisq; formulæ & cautiones importunæ, & qua arte affugerint, ne illicò ex improuiso & sublata omni mora, quæ cum otio possent *ambitu propugnare quod scelere commiserunt*, è medio eiicerentur, vt Burdegalæ factum est. Quod quidem facinus est præclarissimum, gloriaquè & laude dignissimum, quod Dominus Mareschallus Matignonius vnquam perfecerit: licet caput gerat innumeris lauris circumdatum, quas ex amplissimis victoriis antehac reportauit. Ille profectò certus & delibera-

liberatus ictus, quem tum effecit Matignonius, rationem attulit ipsi Aquitaniæ conseruandæ, quæ absque hoc fuisset, tum certè se ibat perditum, & reliquæ insuper Galliæ ruinam lamentebilem per illud tempus fuerat importatura.

O Magnifice & Generose Mareschalle, tu non à calumnijs tibi metuisti, non à dolosis improbisque linguis, non à fœtido illorum vomitu, qui sese in medio nostri pro seruis Regis falsò venditantes, fouent, sustinent, sufflaminant & fauent crudelissimis, maximè detestandis, & juratissimis hostibus ipsius. Sed tandem omnes malè perituri sunt, cum suis illis Iesuitis, vtcunque speciosas considerationes obducant, quarum hæc primaria.

Quid dicetur Romæ? eho, & quid de Domino Mareschallo Matignonio dictum est? cupimusne cognoscere quid sit Romæ dictum? distinguamus eos quorum dicta futura sunt. Dicturi sunt Hispani, eos qui Iesuitas ex Gallia exterminauerint, omnes Hereticos esse. An illi aliter locuti sunt, non dicam de nobis solùm, qui Regis fortunam sequuti sumus, sed etiam de ijs, qui in hac vrbe consistentes adeò fortiter & cum euidentissimo salutis suæ vitæq; periculo intercesserunt, ne Lex Salica perimatur? An non dicebant Hispani omnes Lutheranos atq; Hæreticos esse?

Contra verò quicunque Romæ & in Italia tota non sunt futuri Castilianarum partium, non obscure dicent hic Rhodum, hic saltum esse: Iam Gallos seriò cogitare de rebus suis, cupere integros liberosq; permanere, & hostes iuratos Hispaniæ: nunc demum ipsos in suis rebus peruidentes esse, quum à se suoq; consortio abigunt exploratores inimici sui: hic deniqui spectatam illorum virtutem esse, quod velint vitam viuidam certamq; in incolumitate viuere, quandoquidem atros humores istos, & recoctos, & malignos excreent, excernantq;.

At si Iesuitæ tantopere sunt exitiales Galliæ, saltem maxima miracula per Indias efficerunt. Maxima quidem certè, atque dignissima, quæ diligenter à nobis obseruentur. Nam adhibita Castilianorum suorum opera ad mortem impulerunt ferro & igne, ducenties cētena millia miserorum innocentium, quos historia ipsa ab istis perscripta agnellos vocat. Paganismum quidem inde auellerunt, non convertentes paganos illos atque infideles, sed excarnificantes quam crudelissime. Atque hic observanda est ratio, qua Hispaniolam Insulam ipsius incolis exhauserunt: omnes viros seorsim ad unam insulæ partem per metalli fodinas deduxerunt, fœminas ad alteram partem in aratione occuparunt, sic cauendo ne qui amplius nascerentur, & viuos omni crudelitatis genere exercendo, spatio annorum quasi duodecim præstiterunt tantum, ut in magna illa insula, germani solum Castiliani restiterint. In peruvica Equuleos habent tormentaque publica per fora quibus ad mille viros impetu vno possunt imponere: atq; hic milites & lixæ miseros istos Peruvianos divexant ut confessionem ab invitis extorqueant, indiciumque thesauri sui. Itaque si quando elabi possunt, ad montes fugiūt, seque infœlice arbore suspendunt, uxores suas lateribus suis adhibentes, & liberos parvulos pedibus. Hæc monstra atque portenta Tyrannidis nō secus Venantur homines, quam hic Venamur ceruos, eosque a molossis & Tygridibus vorari curant, quum eos ablegant ad mellis & ceræ investigationem, itemque a Tuberonibus, quum eos uniones piscari iubent in periculosissimis maris propinqui locis. Quod si forte miseros istos secum in bellum abduxerint, nihil commeatus quicquam eis suppeditant, sed vesci cogunt carnibus hostium: adeo ut Hispanicæ illorum copiæ vera sint macella humanarum carnium. Et miramur crudelia facta, quibus in his partibus sese contaminant?

Crudelitas earum in Indijs.

 taminant?

taminant? quæ tamen lenitatis hũmanæ futura sunt, si cum illis, quæ didicerunt exequi, comparentur. Vsq; adeò feruebant homines isti auaritia, vt naues suas triplo magis onerarent miserrimis istis mancipijs, quàm aut illæ vehere possent, aut ipsi alere: quapropter tanto numero eos in mare proijciebant, vt petentibus ab Insula Lucayos Hispaniolam (est autem spatium longissimum) nec magnete, nec pinacio vel Carta marina opus esset cuiquam, sed vestigia solum miserorum Indorum persequenda essent in alto fluitantium, quemcunq; in locum Hispani truces proiecerant.

Videte iam, Galli, etiam atq; etiam contemplamini, qua gratia vos Deus affecit, qui vos à seruitute monstrosæ & portentosæ istius gentis vindicarit. Numellæ, Cippi, Catenæ, vobis fuissent futuræ in delitijs: plenis nauibus fuissetis in Indias exportati, vt metallicis daretis operam: dum isti gratiosi Domini colonias in vestris Opidis statuissent, & prædia vestrà rustica in censu ad libidinem animi sui collocassent. Atq; hæc ratio tamen ex sermone scilicet ipsorum fuisset plantandi Religionem Catholicam, quũ omnes veros Catholicos morti addixissent, aut Catenis constrictos tenuissent, nec alios incolas in tota Gallia, quam atheos, prædones, Sicarios, incestos, & stipendiarios Hispaniæ suæ reliquissent.

Responsio ad illud, de illis quæstionem habete atque iudicate,

Si ergò, dixerit quispiam, tanta est Iesuitarum improbitas, quæstionem de ipsis haberi, sententiam ferri, supplicium sumi necesse est. Ego verò respondeo Dominum Procuratorem Generalem non esse nescium, quid sit postulato opus aduersus eos, de quibus ipse viderit. Sed quod vniuersitas, Filia primogenita Regis, quæ non potest quin abrumpat vincula linguæ suæ, vt ex-

clamet

clamet in eos, qui trucidare student Parentem suum, intendit actione præsente, hoc inquam illud est, vt alij omnes excedant Regno dum capitalis quæstio in illos habebitur, qui in vincula rapti fuerint: *lenia remedia & segnes medicos non expetunt mala nostra.* Nota est passim & admodum recens historia fratrum Humiliatorum & Cardinalis Bonromæi. Tentauerat vnus de fratrum istorum numero Cardinali adferre violentas manus, illicò fratrum istorum Ordo extinctus est, & quicunque ordinis illius erant Italia pulsi per Pium Quintum Pontificem, verè suo nomine dignum, qui conspirationes contra Turcam communem hostem procurabat, pro eo quod alij contra hoc Regnum instituunt eas. Et nunc quum Regem vnum Galliæ voluerunt morte violenta affici, quum fecerunt vt Varadius ille Sicarius effugeret, quid? an non Iesuitæ expellentur? profectò quicunque defendunt propositionem istam, pluris vitam Cardinalis vnius faciunt, quàm Francorum Regis, qui primogenitus Ecclesiæ filius, defensor atque protector est.

Leges ciuiles eijciunt, exterminant, miserijsque perpetuis damnant inde ab uberibus eorum liberos, qui in salutē vitamque Principis aliquid intentauerint. Nempè exemplum metuitur. Et nos conseruabimus sodales Varadij scilicet? qui idem votum, simile desiderium, geminumquè consilium habent, & qui auctores euadendi fuerunt ipsi? Sic quandocunque vnus aliquis Iesuita, quicquam aggressus fuerit in Sanctum caput vnius è Regibus nostris, hunc eijciemus solum. Egregiam verò propositionem, qua efficiatur illud, vt ante perimantur viginti Reges, quàm Iesuitæ omnes ex Gallia exigantur. Certè qui in hac sententia sunt, non admodum sibi metuunt, à mutatione Regis.

Si consilium ageretur de illis morte plectendis, vt olim Templarijs factum, capitalis quæstio instituenda in ipsos esset, sed quid Iesuitæ obtendunt? se in Galliam aduenisse narrant, vt nobis multum vtilitatis adferant: nos autem ipsa docet experientia istos homines in causa fuisse nostri exitij, quid ampliore quæstione nobis opus est? abeant illi, & istam vtilitatem adferant inimicis nostris. Atque in hanc sententiam memini apud Tacitum extare insignem locum: *Si, Patres conscripti, unum id spectamus, quàm nefaria voce aures hominum polluerint, neque carcer, neque laqueus sufficiant: est locus sententiæ, per quam neque impunè illis sit, & vos seueritatis simul ac clementiæ non pœniteat: aqua & igni arceantur.* Hæc iusta in Iesuitas sententia

Rem plus satis notoriam esse,

Accedit ad hæc, quod ante annum 85. hanc formulam, si forte, opus fuisset ad causam istam adhiberi: *hactenus enim flagitijs & sceleribus velamenta quæsiuerant.* Iam verô quum in hoc tempore factum ipsorum & ius adeò notorium est, nec literas hîc desideramus, nec testes. Eleganter enim Quintilianus, *quædam sunt crimina læsæ Reipublicæ, ad quorum pronunciationem, soli oculi sufficiunt;* nec abludit ab eo Seneca 10. Controuers. *an læsa,* inquit, *sit Respublica, non solet argumentis probari: manifesta statim sunt damna Reipublicæ.* Si quis Iulium Cæsarē prehendere potuisset, an verô fuisset opus committi cum ipso testes, vt probaretur, ipsum Rubiconem transmisisse? in armis Italiam ingressum esse? & ærarium publicum exhausisse? Pictores & Poetæ olim gladium è vagina strictum iustitiæ tribuerunt, vt docerent non semper scrupulosa quadam religione & mora vtendum esse, nec malos Medicos imitari oportere, qui morbis tempestiuè non adhibent remedia commoda, sed tantisper differunt dum vires & facultates ægroti attenuatæ & planè attritæ sint.

Sed quid est quod notorium appellamus? hoc vno verbo

verbo definiunt omnes Doctores nostri, *quod fit coram populo.* Atque vtinam, vtinam Iesuitarum crimina tam atrocia, tàm certa, tamque notoria minimè extitissent: non fuissemus tàm multas calamitates perpessi.

O vtinam arguerem sic, vt non vincere possem.
Me miserum, quare tam bona causa mea est?

Sed nihil integrum Aduocato reliquerunt: res enim manifestissimas infitiari, augentis est crimen, non diluentis. Philo Iudæus in Decalogum agens de voce Dei, præclaram rationem adfert cur ea videretur: nam, inquit, quod Deus dicit, non verbum solum, sed etiam opus est. Et illud fertur in ore omnium, vocem pppuli, id est, bonorum ac non imperitæ plebis, vocem Dei esse, quia de rebus notorijs loquitur, de rebus quæ sub aspectum cadunt, & de quibus est nullus omnino mentiendi locus.

Obijcitur, atqui Iesuitæ non omnes sunt extranei. Quid tum? quasi verò qui adoptione & fide data Hispani sunt, non effecissent nos longè grauioribus malis, quàm Hispani nati. *Ego potius ciues credam, qui in extrema Scythia nati bene de Gallia cogitant, quàm qui Lutetiæ geniti & educati locum, libertatem, gloriam, in qua nati sunt, per summum scelus perdere velint & conentur.* Comoletus, Bernardus, & horum similes, nonnè Galli sunt? in gremio Galliæ ipsius nati? & tamen an vlli homines sunt, qui tanta impudentia omne contumeliarum & blasphemiarum genus vomuerint contra maiestatem Regis, & sanctam memoriam defuncti Regis nostri: estne quisquam in toto orbe terrarum, qui tantum laboris ad subuersionem publici status nostri consumpserit? Nã modo præterea detur falsa aliqua Religionis species, quidquid fit prætextu illius, id missionis est: trucidare, aut trucidandos curare Principes, quos excommunicauit Pontifex, hoc præcipuum missionis caput. Varadius ipse, qui Melodunensem

Responsio ad illud non omnes exteros esse.

Iesuitarum missio.

 istum

istum sicarium monitis & hortationibus confirmauit, nonnê Parisiensis est? Deus bone, quam diu iam iste Iesuitarum ordo, ex Gallia eiectus & exterminatus fuisset planè, si apud nos Hispani alij non fuissent, quàm qui trans Pyrenæos saltus sunt editi? Bona profectò & commoda immensa, quæ Rex Philippus ergo Iesuitas confert, satis manifestè docent, eos pro bonis subditis & instrumentis commodis dominatus sui ab ipso semper habitos. Maxima illa nauis Iesuitarum oneraria, quæ aurum ipsorum mercesq; exportat ab Indijs (nam vndequaque homines isti corradunt, vt ærarium suum Romæ & in Hispania adaugeant) maxima inquam nauis illa, quintam non pendit (vt aliæ) Philippo Regi: quæ res tertis quibusq; annis ipsis adfert commoda amplius ducenties millia coronatorum. Tum nomine quæsitæ Lusitaniæ in partem attributam ipsis dono dedit munus illud, quod Reges Indiarum Orientalium tertio quoque anno Regi Lusitaniæ sunt præstare soliti: quæ res, si aurum, vniones & aromata placeat æstimare, efficit amplius quadringenta Coronatorum millia. Ac propterea vt iustam aliquam munificentiæ istius præbeant compensationem, non secus de ipso loquuntur ipsumq; prædicant, quàm velut summum Principem, qui vnquàm in orbe terrarum extiterit, priscos Romanos viribus superantem, & Regionum amplius obtinentem quàm possideant cuncti alij Reges orbis vniuersi.

Bona & commoda quæ percipiunt á Philippo Rege.

Vita Ignatij, 177.

Pergite, animæ Hispanæ, pergite iam extollere & magni facere vires Castiliani Regis: effecturus est vt omnes Cardinales sitis, quemadmodum Toleto Iesuita Hispano factum. Respuunt modesti homines exigua beneficia (etsi per magnum Prioratuum, Abbatiarumq; numerum annectunt atq; adiungunt mensæ suæ) sed vt sitis Cardinales, hac via tandem ad Pontificatum peruenturi,

Iesuita Cardinalis Hispanus.

nentuti, id verê non poteſt, nec debet anima veſtra recuſare. Quis aſperis & audacibus verbis Illuſtrem Dominum Ducem Niuernenſem excepit, & pro auctoritate relationem fecit, niſi Ieſuita iſte Cardinalis Hiſpanus? qui tanta fuit impudentia, vt Ianuario vltimo ſit auſus ei dicere, oportere vt tres Prælati ſe conferant ad Cardinalem Sancti Seuerini, Inquiſitionis caput, abſolutionem ab eo petituri, quod interfuerint conuerſioni Regiæ maieſtatis. O rem pudendam: ô blaſphemias contra Deum & Sanctam Religionem eius grauiſsimas: operis præclariſsimi, ſanctiſsimi, vtiliſsimi, & ſummè neceſſarij ſupra quam in orbe Chriſtiano fieri quicquam potuit, abſolutionem peti? Sed hoc illud eſt: quia damnoſum, ac fermè exitiale eſt Hiſpano, id Ieſuitæ ſemper damnaturi ſunt, & factum dignum pœnitentiæ atque abſolutione iudicabunt. Hæc certa cauſa eſt, cur iſti patresfamilias diligentiſsimi, ſimul ac fama de ſancta illa conuerſione ad ſe fuit perlata, Puteanum (qui iam Prouincialis ipſorum eſt) Lutetia miſerunt Romam, vt fictam & ſimulatam eam eſſe Pontifici perſuaderent.

Sed iam tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet vellere.

Ecqui vocare in dubium poſſumus, vtrum parricidas iſtos eijci oporteat, cum inde ab anno 1550. (vt Dominus aduocatus Menilius in Oratione ſua annotauit) poſtquam Ieſuitæ literas ſuas exhibuiſſent ſignatas, *in præſentia Cardinalis Lotharingiæ*, & perſcriptas hoc argumento, quòd iſti in Hiſpania accepti eſſent, præclaro ſcilicet argumento & conſideratione digniſsimo, hæ literæ purè ſimpliciterquè à Curia congregatis ſemeſtribus duobus reiectæ ſunt? Deinde poſt quadriennium inſtantibus iterum importunitate ſua Ieſuitis, Curia iudicium Collegij Sorbonæ deſiderauit: quo tempore conuentus Sorbonæ dies quatuor ipſos habitus (quemad-

Parlamentum eiecit eos inde ab anno 1550 Pag. 30.

(quemadmodum indubitatè Sanctus Spiritus inter eos præsidebat) verè diuino instinctu & inspiratione præuidit, iudicauitque istos homines damnosissimos atque perniciosissimos esse, tum statui Regni, tum causæ Religionis, & contentiones infinitas, diuisiones, dissensionesque in gente Gallica effecturos. Atque ne quisquam putet fortasse iudicio illorum rem vllam adijci, en vobis ipsa verba decreti Sorbonæ, quo describitur pauculis verbis malum istud grauissimum, quod nouæ istius & periculosæ sectæ opera accepimus.

Decretum Sorbonæ contra eos

Hæc noua societas insolitam nominis Iesu appellationem peculiariter sibi vindicans, tàm licenter & sine delectu quaslibet personas, quantumlibet facinoros[illegible], illegitimas, & infames admittens, nullam à secularibus Sacerdotibus habens differentiam in habitu exteriori, in tonsura, in horis Canonicis priuatim dicendis aut publicè in templo decantandis, in claustris & silentio, in delectu ciborum & dierum, in jeiunijs, & alijs varijs legibus ac ceremonijs (quibus status religionum distinguuntur & seruantur) tàm multis tamque varijs priuilegijs, indultis, & libertatibus donata, præsertim in administratione Sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ, idque sine discrimine locorum aut personarum in officio etiam prædicandi, legendi, & docendi, in præiudicium Ordinariorum, imò etiam Principum & Dominorum temporalium, contra priuilegia Vniuersitatum, in magnum populi grauamen, Religionis Monasticæ honestatem violare videtur, studiosum, pium, & necessarium virtutum, & abstinentiarum, ceremoniarum, & austeritatis eneruat exercitium, imò occasionem dat liberè apostatandi ab alijs Religionibus: debitam Ordinarijs obedientiam & subiectionem subtrahit, Dominos tàm temporales quàm Ecclesiasticos suis iuribus iniustè priuat, perturbationem in vtraque Politia, multas in populo querelas, multas lites, discordias, contentiones, æmulationes, rebelliones, variaque schismata inducit. Itaque his omnibus atque diligenter examinatis & perpensis, hæc Societas videtur in

tur in negotio fidei periculosa, Pacis Ecclesiæ perturbativa, Monasticæ Religionis eversiua, & magis in destructionē, quam in ædificationem.

Antequàm effecta hæc innotuissent coniurationis ipsorum, magnis admirationibus in nostra Academia utebamur dicentes, qui tandem sunt homines isti? utrum Regulares, an Seculares? Nam tertiū quidem genus non habetur apud nos. Seculares non sunt: cum in commune viuant, habeant Generalem suum, & postremo votum voueant paupertatis, omnino tamen disponentes & constituētes de Collegiorum bono. Regulares item minime, nam regulam non habent ullam, non ieiunium, non distinctionem ciborum, nec certis officijs seruitutibusq́ astringuntur, & possunt succedere, quamuis se ipsi non possint à fide sua data absoluere, habent quatuor aut etiam quinque votorum genera, simplicia, composita, solennia, secreta, publica: permiscent denique, perturbant, peruertunt omnia, & rogati quales sint respondent, *tales quales.*

Nec regulares nec seculares sunt.

Vtebamur, inquam, per illud tempus admirationibus amplissimis: iam verò totum hoc desijt. Cur autem? quia (vt vno verbo absoluamus) nec Regulares, nec Seculares sunt. Quid ergò? veri exploratores & corycæi Hispaniæ: qui nomen sibi quodlibet indituri sunt, nec lecturi sunt si nolis, & iuramento omnia, quæ voles facturi sunt reseruata sibi dispensatione *ad cautelam*, modò eos sinas ex animi sui sententia & commoditate prodere, explorare, rumores falsos in vulgus disseminare, nuncios comminisci ad Hispaniæ commodum, ignemq́ dissensionum nostrarum, accendere & fouere arbitratu suo. Habes iam expositum, quid isti postulent: habes voti ipsorum, professionis, regulæ, consiliorum, adeoq́ summi boni explicationem.

Reiecti etiam in Italia.

At non solum Sorbonæ Parisiensis Collegium extitit, quo auctore damnantur isti: sed Romæ etiam cernentes, optimi quique Hispani illius Ignatij consilium, intercesserunt grauissimè. Hoc enim Iesuitæ ipsi scriptis tradiderunt in vita illius pagina 144. *postea verò Ignatio eiusmodi instituti confirmationem scriptam postulante, negotium à Pontifice Maximo tribus Cardinalibus datum est, qui ne res conficeretur magnopere pugnabant, præcipuè verò Bartholomeus Guidicis, unus Cardinalis, vir pius quidem atque eruditus, sed qui tantam religionum multitudinem, quanta nunc quidem in DEI Ecclesia cernitur, minus probaret: Conciliorum Lateranensis ac Lugdunensis decretis fortasse permotus, quibus nimirum nouarum religionum multiplicatio prohibetur: aut certè propter quarundam laxam fluxamque disciplinam, quam in pristinum statum reuocandam censebat potius quàm nouas religiones instituendas: atque de ea re librum dicitur scripsisse. Quapropter cum id sentiret, acriter nostris restitit, & societatis confirmationi unus omnium acerrimus repugnauit; aliqui non nulli conatus cum illo suos coniunxerunt.* Quid ergò in causa fuit, cur istis omissis impedimentis omnibus recepti sint? nempè quòd promiserunt expressè quartum votum obedientiæ Pontifici, suprà quàm omnibus Principibus terrarum orbis. Nam hoc illi ipsi eadem pagina 144. literis consignarunt, in hæc verba: *quorum quidem religio, Clericorum Regularium esset: institutum verò, vt summo Pontifici ad nutum præstò forent, & omninò ad eam normam vitam suam dirigerent, quæ multo antè meditata & à se esset constituta, quod quidem Pontifex tertio Septemb. Tiburæ libenter audiuit, Anno 1539.*

Quæ cum ita sint, reiectos certè fuisse illos dicamus in Gallia Italiaque necesse est à summis quibusque Catholicis, sed Hispanicum minimè sentientibus. Nisi fortè eò labantur impudentiæ cum Patronis suis, vt affirmare audeant hæreticam fuisse Sorbonam anno 54. quum illud de-

lud decretum aduersus ipsos perscriberet? pro vt etiam in hoc tempore adeò sunt perfricta fronte, vt apud mulierculas in suo cœtu pronunciare non dubitent, eos omnes qui hanc causam persequuntur, hæreticos esse, Geneuâ & ex Anglia aduenire. Quod si ego ipse qui dico, non essem cognitus inde à pueritia mea, qua in Regali Collegio Nauarræ fui institutus; si etiam notoria mea professio, atque admissio in publica & honorata munera inde ab anno 80. & 85. non absoluerent me ab istorum technis manifestissimè, libenter sanè fingerent me inde ablegatum esse, qui orationem in ipsos habeam. Sed quis est, qui Iesuitis obloquens bonus Catholicus dici possit, cum Sorbonam ipsam ab Inquisitione Hispaniæ hæreticam curauerint pronunciari? hoc ipsi nos Iesuitæ docent, qui gloriosè prædicant se, postquàm decretum illud Sorbonæ contra se scriptum vidissent, ad Castilianam Inquisitionem confugisse, vt Sorbonam Parisiensem decretumque illius curarent condemnari. Cogitate, viri Amplissimi, quis ex manibus inhumanæ, barbaræ, Hispanicæ Inquisitionis istius, istius pedicæ contra omnes positæ qui se amplitudini Castilianæ obiecerint, istius sanguinariæ officinæ omnis crudelitatis, istius pegmatis ad omnes horrores terroresque tragicos, qui excogitari in orbe possunt constituti: quis igitur ex manibus Inquisitionis istius elabi possit, quum ipsa Parisiensis Sorbona damnata sit iudicio eius. Sed vbi est, inquies, ista condemnatio? habes in libro ipsorum, qui inscribitur vita Ignatij, pag. 403. *Porrò in Hispania, quod Sorbonense decretum contra sacrosanctam sedis Apostolicæ esset auctoritatem, à qua religio nostra probata & confirmata est, fidei quæsitores illud tanquam falsum & quod pias aures offenderet suo decreto legi prohibuerunt.*

Nemini hoc mirùm videri debet, quod adeò curæ Iesuitæ sint inquisitioni: cùm hæc duo instituta non alio fine *facta* sint, quàm vt Castiliana Tyrannis in vniuersa Europa constabiliretur.

Peroratio. Et nos adhuc frigêre in exterminandis ĳs, qui sibi in Hispania consulunt prospiciuntq́ contra eas res, quæ iure in Gallia peraguntur: qui omnia monita iudiciaq́ ad hostem nostrum deferunt: qui proditiones omnes moliuntur: qui animos corrumpunt iuuentutis nostræ: qui denique nihil tantopere in hac vita expetunt, quàm vt Regem è medio tolli curent? quid amplius volumus expectari? *opportuni magnis conatibus transitus rerum: nec cunctatione opus est.* Omnes sunt iustissimè in istos homines irritati: manat adhuc tota recens malorum plaga, quæ illi apportauerunt. Omninò aut hæc actio Galliam ab istis nouis monstris ad ipsam lacerandam natis liberatura est: aut, si ipsorum doli, si artes, si rumores per ipsos disseminati eos tutabuntur, alta voce dico (rationem quidem inuenerunt efficiendi vt occluderentur portæ: sed vox mea in quatuor huius Regni Angulos penetratura est, quam ego adhuc consecrare statui posteritati, sine metu & perturbatione vlla iudicaturæ quinam ex Gallis fuerint meliores & studiosiores ad relinquendam sibi eandem libertatem quam à maioribus nostris accepimus) alta igitur voce dico, *& quantùm potero voce contendam,* isti nobis plus mali quàm vnquam fecerunt afferent. Ac eo temporo equidem incertus sum, vtrum integræ adhuc sint futuræ vires nostræ: nescio vtrum adhuc nouo quodam impetu bona & vitam nostri homines periclitari volent:

Pectore concipio nil nisi triste meo.

Res mundi istius transeunt, labunturq́ momentò vno: pigriores nautæ sereno cœlo in portu desident:

vincat sententia, quæ diem non profert, Enimuero quorsum dilationes istæ? scilicet vt otium illi commoditatemque habeant pertingendi institutum suum plenum lachrymis, atque adeò cruore bonorum omnium. *Tygres lionesq; nunquam feritatem exuunt: aliquando submittunt, & quum minimè expectaueris, exasperatur toruitas mitigata: Ita mihi salua Republica vobiscum frui liceat, vt ego quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moueor, sed singulari quadam humanitate & pietate.* Propono mihi ante oculos assiduè Melodunensem parricidam illum: & tantisper dum Iesuitæ confessarij hortatoresque istarum cædium in Gallia futuri sunt, nunquam mihi animus conquieturus est. Cum autem eiecti fuerint, tum verò securus futurus sum: tum scelerata omnia consilia Hispaniæ perrupta in Gallia prospecturus: tum omnia corpora & confratriæ de nomine Iesu, Loramenti, Virginis, Pallioli siue Cappæ, spiræ, orbicularis, collarij parui, & aliæ innumeræ extinctæ futuræ sunt: si tum denique proditores isti, qui publicum Regni statum appetunt machinationibus, nescient quem hic appellare possent. Nam vt ad Legatum Hispaniæ adeant: nullus est apud nos: vt ad suspectum aliquem, res quamprimum reuelabitur. Tum particularium hominum chartæ in manus Magistratus ipsorum morte relabuntur: Sed hæc societas non moritur vnquam: deinde specie religionis deuotionisque semper latet consilij illius conuocatio: postremò ex centenis hominibus qui confidunt istis, vix bini deprehendentur, qui arcana sua cum alijs communicent.

Nesciet hoc quisquam nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es.

Sicut igitur in corporibus ægris nihil quod nociturum est medici relinquunt, sic nos quicquid obstat libertati rescindamus. Neque imitemur homines ex bile laborantes, qui renuunt me-

dicamentum sumere ad integram curationem sui, sequè solùm leuari curant ea biliosi humoris parte, quæ fastidium adfert, tandem verò magno cum fœnore grauissimorum dolorum vehementissimorumq́ torminum dant pænas stultitiæ suæ. Quemadmodum etiam odoramenta sunt, quæ miseros ex comitiali morbo laborantes ad momentum reuocant & restituunt ipsis, non sanitatem adferunt. *ad exiguum momentum prosunt, nec remedia doloris sunt, sed impedimenta* etenim profectò Iesuitæ nulla ratione comprehendi possunt in declaratione à Rege facta, cui exceptio hæc inest his ipsis verbis: *excepta solùm molitione & felonia siue atroci perduellionis crimine commisso in personam defuncti Regis Domini & fratris nostri honoratissimi, quem Deus absoluat, & instituto in personam nostram?* quæ verba ad nullam rem tàm commodè pertinere possunt, quàm ad Iesuitas, qui Lugduno primùm, deinde Lutetia miserunt sicarium Regi vitam erepturum. Adde quod edictum illud die 4. Aprilis 1594. perscriptum, non ignoscit aliјs quàm qui omnibus fœderibus & consociationibus, tum in Regno, tum extra fines Regni renunciauerint. Cum autem præcipuum Iesuitarum votum sit, eos in omnibus, & per omnia Generali suo Hispano, & Pontifici obedientiam præstituros: nullo pacto possunt consociationi isti omnium, quæ in mundo sunt arctissimæ renunciare, quin societati suæ renuncient. Denique non possunt ĳdem & Iesuitæ esse & comprehendi edicto Regis: quo insuper cautum est, *vt cùm renunciationes istæ intra mensem fiant, tum Iusjurandum fidelitatis:* quas res ne hoc quidem tempore Iesuitæ perfecerunt, imò ne actis quidem vllis docere possunt id se voluisse, aut tentauisse facere: quemadmodum reuerà non sunt habiles istius facti, quia nemo potest duorum Dominorum simplex & absolutus Vasallus esse.

Elegan-

Eleganter olim dixit quidam, *quid prodest strenuum esse in bello, si domi male viuitur?* intereà dum Rex in armis est, vt euertat, fundat, eijciat inimicos suos, & vrbes cogat, quæ se in rebellione sua obfirmauerint, dum ardorē solis, asperitatemq; hyemis perfert, & se quotidie bellorum exponit periculis, causa libertatis nostræ: feremusne vt Iesuitæ in omnibus præcipuis oppidis diebus singulis excitent in eum suis confessionibus mille recentes aduersarios, & consilium secretum in eis habeant cuiusuis rebellionis & proditionis perfidiosissimæ? *Quemadmodum aduersus pestilentiam nihil prodest diligens cura valetudinis: promiscue enim omnia inuadit:* similiter frustra Magistratus curaturi sunt, laboraturi, huc illuc in omnes partes discursuri: tantisper dum pestis in sinu vrbis & Vniuersitatis est, aceruatim ciues nostros sumus amissuri. *Vniuersitatem ab illis euersam: eamq; restitui non posse, nisi eijciantur ex Gallia:*

Nunquam tempus viderunt in Gallia Iesuitæ ad rationes ipsorum commodius hoc postremorum bellorum tempore: quod tempus libentissimè (vt olim Commodus) seculum aureum appellassent. Nam cætera Collegia omnia videbant ab extraneo præsidio confertim occupari, atq; in dies singulos destrui: videbant omnes studiosos secum esse, totamq; Academiam ad solum Iesuitarum Collegium redactam, prout etiam fermè est in hoc tempore. Credi non potest, *quas strages ediderint* in teneris pueritiæ mentibus, dum nihil aliud in suis narrationibus ac thematis obtruderent, quàm quibus rationibus vitam Regi eripere sit permissum. Etsi quod Lutetiæ commiserunt malum, si benè obseruabitur, nihil ad illud malum, quod alijs omnibus oppidis intulerunt.

Sunt qui affirmare audeant damnum Academiæ Parisiensis claustris murorum eius circumscriptum esse: sed oratores isti malè attenderunt ad rei veritatem. Nam

si riuos

si rivos sistamus, ex quibus simul iunctis existunt ingentes fluuij, certè fluuios exarescere est necessarium. Sinite Iesuitas in prouincijs omnibus obtinere: oportet exarescat Parisiensis hæc Academia. Et reuera sola comparatio summi illius gradus & fastigij gloriæ, in quod vos, Amplissimi viri, vidistis euectam nostram Vniuersitatem, labefactatio continua illius ex quo Iesuitæ venerunt in Galliam, seq; per singulas vrbes vnde frequentia studiosorum affluebat confirmarunt, abyssus denicq; paupertatis, miseriæ, atq; egestatis, quo iam adducta est (iam enim propè est quum actura sit animam, nisi per vos, Domini Amplissimi, natos suos in summis istis difficultatibus succurratur ipsi) nonnè satis luculenter æquitatem docet tàm quærimoniæ, quàm postulationis huius quam nunc à vobis postulat?

Quòd si dies conseruationis non minus iucunditatis habet, quàm natalis habere solet, certè dies ille quo Iesuitæ ex Gallia exigētur, non minus obseruatione dignus futurus est, quàm dies, quo fundata & instituta est hæc nostra Academia. Et quemadmodum Carolus Magnus, postquā Italiam à Longobardis, Germaniamq; ab Hungaris liberasset, bis Hispaniam transmisisset, & sæpenumero Saxonas domuisset, instituit Parisiensem Academiam, quæ annos octingentos fuit omni artium & scientiarum genere florentissima, perfugiumq; literarum extitit ex Asia exulantium, & in Græcia, Ægypto, atq; Africa euersarum: Similiter hic Magnus Henricus expulsus vi armorum Hispanis, & exterminatis aresto sententiaquè vestra Iesuitis, hanc nostram Academiam in splendorem pristinum & antecedentem gloriam ipsius repositurus est, & nomen laudesq; ipsius decantabuntur æternum in theatris nostris, eruntq; triumphi ipsius, victoriæq; & fortia facta perpetuum versuum nostrorum & Panegyricorum argumentum.

Vos

Vos autem, Domini Amplissimi, quibus hoc tantum bonum, hæc rara atq; optanda felicitas nunc demũ contingit, vt sedeatis ad iudicium magnæ huius & pergrauis causæ: attollite, obsecro, attollite cogitationes vestras, & in futurum vsquè seculum eas protendite. Vestrum nomen, memoriaq; vestra aureis literis æternùm incidentur, non solùm in nostra Academia, verumetiam in animis bonorum omnium, ac præsertim verorum Gallorum omnium.

Aurea Clio,
Tu nihil magnum sinis interire:
Nil mori clarum pateris, reseruans
Posteris Prisci monumenta secli
Condita libris.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas iuuentæ,
Militat virtus tibi: te notante
Crimina pallent.

Hanc igitur occasionem oblatam tenete, & amplissimi orbis terræ consilij Principes vos esse recordamini. Ne dubitetis, quin Arestum vestrum quàm promptissimè vbique locorum effectum reddatur: simul ac fama illius in alias vrbes transuolauerit, ea ipsa hora omnes Hispanici exploratores isti inde exigentur. Qui autem Parlamento dicunt non esse auctoritatem eijciendi ipsos, nisi ex ditione conuentus sui & iurisdictione sua: nesciunt homines illi, quæ sit Parlamenti in huiusmodi causis iurisdictio. Non sunt angustiores limites ipsius, quàm sint mucronis, & armorum triumphalium Regis: qui curabit fieri Senatusconsulta vestra in ipso quoque Pedemontano agro, vbi secunda fortuna ipsius iam flores lilij sic implantauit procul, vt omnia tormenta Hispanica eos nec labefactare, nec commouere possint.

Rex quod bonum est expetit: an ergo credibile est eos amari á Rege, qui vitam ipsius quotidie appetunt, & qui omnes calamitates, quas miser populus ipsius perfert, attulerunt? Quum sententiam tuleritis Aresto vestro, tum si qui remorari volent executionem ipsius, eos ad centies mille oportebit conuenire, si quid per se effectum volent. Cupit Maiestas Regia, vt aliquo pacto sitis triumphorum ipsius participes,

Veterumque exempla sequutus

Digerit imperij sub judice facta senatu.

Eiecit Lutetia præsidium Hispanicum armatum, apertumque: vos, Amplissimi viri, expellite tectum & secretum illud, expellite præsidium hoc, cuius opera alterum illud fuerat intromissum, cuius opera illud hic substitit tam diu, & cuius arte illud fuisset duplo confirmatum, si commoditatem transitus ad flumen Osiam adhuc habuissent, quando ad Bellovacos vsque peruenerunt. *Venit tempus, serius omnino quàm dignum nomine Francico fuit, sed tamen ita maturum, vt differri iam hora non possit,* Considerate, si placet, Domini consultissimi, quem in locum res vestræ adductæ sint. Ducem Mayennatem reum læsæ Maiestatis pronunciauistis, & Tyrannum Hispanum adiutoresque ipsius arma sua cum armis illius coniungentes communes Christianitatis hostes. Forte sanè, egregiumque dictum. *Curate vt viri sitis, & cogitate quem in locum sitis progressi.* Lutetiam illis extorsistis, quam se confidebant Dominationi suæ in perpetuum subdidisse. Nihil tam illis dolet, quàm quod vitam omnibus vobis non eripuerint: *nunc omnes vno ordine habent.* Alio tempore nihil arce vobis opus esset, arx vestra foret tumulus vester: quin etiam hoc ipsum nescio, vtrum tumulum illum vobis concessuri essent. Deus hodie facultatem vobis exhibet, planè abrumpendi in perpetuum omnes

technas

technas, omnes πραξικοπίας, omnesq́ conuentiones ipsorum abditissimas: duobus prælijs cæsi videbuntur sibi, quum omnes Iesuitas suos ex Gallia exactos audiuerint. Nec committite, Amplissimi viri, vt hæc pulchra, hæc commoda, hæc præsentissima occasio elabatur, expediendi vos ab ijs hominibus, quibus literæ non sunt vsui (vt olim Caracallæ) nisi vt instrumenta sint ad malefaciendum aptissima. Expellite homines istos, quibus pares non sunt vsquam in omni nequitiæ genere, *tàm acres, tàm paratos, tàm audaces, tàm callidos, tàm in scelere vigilantes, tàm in perditis rebus diligentes.* De quibus quum exsurgetis, Amplissimi viri, capita collaturi, recordamini, obsecro, quàm suauis futura sit pœna exilij hominibus illis, qui opes incredibiles in Hispania, Italia, Indijsque possident, pro eo quòd anno 1530. vna exigua pensitatio ab Hispano submissa ipsis erat satis, prout ipsi scriptis suis expressè testantur. Recordamini præterea, quæso, iacturam necessariorum vestrorum, amicorum, fortunarumq́ vestrarum, desolationem Regionum tàm multarum, exitium tàm magnorum Ducum, tàm generosæ nobilitatis, tàm multorum fortium militum, quos Martis nostri, intestini furor pignoratus est, indesinenter ab istis accensi: quemadmodum se nunc quoq́ in hac re occupant. Ne dubitetis vel minimum, quin si Galliam purgabitis, & hoc veneno leuabitis, perinde illi accidat ac corporibus quæ ex longis & grauibus morbis recipiunt firmiorem valetudinem incolumitatemq́ meliorem, quàm prius obtinuerint, latente morborum illorum beneficio. Quum autem Aduocatus ipsorum ad vos veniens laudabit magnum animum, & clementiam Regis, memineritis, Amplissimi viri, hæc ab ipsis de Rege prædicari, cuius sanguinem quotidie in votis habent, mortem in optatis, cædem in detestandis & execrabilibus

ipſorum conſilijs, veniat vobis in mentem de hoc Rege homines iſtos agere, cui adiutoribus iſtis inde â primo auctore ſuo Ignatio pars Regni Nauarreni erepta eſt: Nec hodie tantopere laborant de re vlla, quàm vt omnibus viribus Regnum Galliæ ipſi extorqueant, quod ſubditum & adunatum Hiſpaniæ cupiunt, quemadmodum fecerunt Luſitania.

Jam ſatis, ô Rex, locus fuit datus patientiæ, jam plus ſatis proditores iſti atq; ſicarij in medio Regno tuo diſsimulati ſunt, quod ad te, gloria tua peruaſit ad imperia terrarum orbis longinquiſsima: nihil niſi victoriæ audiuntur, & res partæ tuæ: tibi cognomen Magni in perpetuum eſt comparatum & immortalitati conſecratum: admirabilia facta tua, res tuæ geſtæ bellicæ, manus tibi palmis impleuerunt, pede auctoritatis tuæ temeritatem, perfidiam, & ſpolia omnium inimicorum tuorum proculcante. Verumtamen, O Rex, non tibi ſoli vitam in hoc mundo viuis: animaduerte, obſecro, quantum gloria nominis tui foret obſcurata, ſi poſteritas in hiſtorijs legeret, eo quod angues iſti non fuerint ſuffocati, aut certè ejecti ex hoc tuo Regno, te ab illis tandem fuiſſe perditum, omnesq; miſeros ſubditos tuos poſt te. Res tibi eſt, ô Rex, cum patiente & peruicace hoſte: qui nunquam, niſi cum vita, præceptas illas animo cogitationes immaneis, conſiliaq; ſua in Regnum tuum abiecturus eſt. Omnes aliæ artes ipſius defecerunt, & infirmiores compertæ ſunt:

nihil

nihil jam apud ipsum restat, nisi vltimum illud remedium ipsius, vt tolli te è medio curet per Iesuitas suos, cùm aliter sistere nequeat secundum cursum fortunæ tuæ. Vtetur patientia, dissimulabit maximè, sed tamen ad scopum hunc suum semper collimabit, & tantisper dum Coloniæ ipsius Iesuiticæ in Gallia futuræ sunt, vbi judicia, monita, & fasciculi accipiuntur literarum eius, vbi sicarij eius hortationibus, confessionibus, communione Sacramenti, celeusmatis confirmantur, nihil non poterit efficere. Quòd si generosus animus tuus, ô Rex, non sinit te tibi metuere, huc saltem animum causa seruorum tuorum liceat aduertere: dimiserunt vxores, liberos, facultates, domos, commoda, vt sequerentur fortunam tuam: alij qui in magnis oppidis permanserunt, carnificinæ sedecim virorum exposuerunt sese, vt portas earum tibi patefacerent. Et nunc, ô Rex, an non vitam tuam curaturus esses, vt vitam serues illorum, ita cum tua coniunctam vt hæc distrahi ab illa non possit? non afficeret te misericordia respicientem ad tantum fœminarum, tantum liberorum infirmorum numerum, qui insolentiæ & crudelitatis Hispanicæ perpetua mancipia futuri essent? Restat inimicorum apertorum satis, ô Rex, quos in Gallia, in Belgio, & in Hispania expugnes: defende latera tua à sicarijs istis domesticis, Dummodò procul istos aberceas, de cætero nihil metuimus: non potest Hispanus assequi seruitu-

 tem ne-

tem nostram, nosq́; sibi asserere, nisi per sanguinem tuum. Iesuitæ, quos creauit ille, nunquam in Gallia conquieturi sunt, quin eum profuderint. Fidelium quidem seruorum tuorum cura adhuc impediuit parricidia ipsorum, sed isti, ô Rex si ferantur inter nos, poterunt semper sicarios mittere, quos confeßionibus & communione, vt Barrerium, instruant: nos autem, ô Rex, non poterimus in excubijs indesinenter esse. Fieri non potest, quin ij, qui eandem rem pertentant sæpius, tandem assequantur: animus ipsorum totus cruentatus est morte defuncti Regis, cuius cædes fuit instituta & deliberata in Collegio ipsorum: nec de illo conatu suo, quem in vitam tuam manifestò moliti sunt, potest dies noctesq́; quiescere, sed oberrat semper somnians, semper versans, semper laborans, vt ad culmen istud consiliorum suorum perueniat: qui cumulus est optatorum omnium, & desideriorum omnium, quibus vruntur Iesuitæ; illæ autem considerationes, quas tibi ô Rex, opponunt illi qui non sunt solliciti de morte tua, illæ, inquam, totidem fermè sunt proditiones luculentißimæ, atq́; manifestariæ, quum vitam tuam confirmaueris, quum Regnum & Rempublicam cõstabilíueris, ex tot amplis & potentibus oppidis exterminato consilio publico, quod intus adhuc habent inimici tui Iesuitarum opera, tùm certè trans montes formidabilis futurus es: tùm, inquam, ô Rex, honor ille tibi habebitur, qui debetur primario

Europæ

Europæ Regi, Regi gloria & libertate magnificentissimè coronato, Regi maximo apud eos populos quos baptismo initiauit Deus. Sed dum spes futura est ulla tui cum veris Gallis omnibus perdendi dolis, artibus, & confessionibus Iesuitarum, indignissimis certè contumelijs afficieris, quantas nunquam Rex vllus Galliæ perpessus est. Tu filius es, ô Rex, primogenitus familiæ Nobilissimæ, Augustissimæ, & antiquissimæ earũ, quæ in orbe degunt: totum curriculum annorum tuorũ tropæis, triumphis laureis, & victorijs instructũ est, quas de omnibus ijs reportauisti, quibus audax animus constitit ad expectandum congressum tuum. Vocant te omnes Prophetiæ ad dominatum mundi. Nunc verò quinam sunt homines isti, qui proditores, qui nothi partus & adulterini Galliæ, qui animo tuo conantur metus inijcere ab offensa extranei, vt apud te deinceps habeas parricidas illos, qui perpetua consilia agitant in tuum ipsius caput? Soliti sunt Reges Galliæ. ô Rex, legem ferre, & non accipere. Deus ille Magnus exercituum, qui te deduxit manu ad eum vsq; locum, in quo constitutus es, te ad res infinito ampliores adhuc seruat. Sed ne contemnas, ô Rex, monita quæ dantur in hoc tempore: quin potius expellas cum sicarijs istis Iesuitis, eos omnes, qui fortunam suam tumulo tuo superstruunt, dum homines istos in Regno tuo statuunt retinere.

Concludo

Concludo irrogatione, vt placeat Curiæ accipienti postulationem Academiæ decernere, vt Iesuitæ omnes à Gallia discedant, & exeant ex Regno, agris, & ditionibus, quæ parent Maiestati Regiæ intra diem decimũ quintum à denunciatione decreti illius: quæ denunciatio fiat in singulis Collegijs domibusue ipsorum, vnum aliquem de ipsis illorum omnium nomine compellando. *Aliàs*, nisi hoc fecerint, & si eorum quisquam in Gallia post tempus illud deprehendatur, illicò sine alia quæstionis, cognitionis, & processus forma condemnetur, vt Reus læsæ Maiestatis compertus, & vitam Regis appetens: sumptusq; refundi ab eis postulo.

RESOLVTIO VNIVERSITATIS SOLENNITER ET LEGITIMAE CONVOCATÆ. 10. die Aprilis. 1594. causa postulationis vt Iesuitæ omninò expellantur.

ANNO Domini Millesimo Quingentesimo nonagesimo quarto, die lunæ decima octaua Mensis Aprilis, conuocata Vniuersitas omnium ordinum huiusce inclyti studij Parisiensis apud ædem Sancti Maturini, pro supplicatione peragenda ab Academiæ ad ædem Sanctæ Capellæ Regalis Palatij Parisiensis, ad reddendas gratias altissimo Deo pro reductione felici huiusce almæ urbis, prosperitate & felicissimo successu Christianissimi & inuictissimi Domini nostri Henrici IIII. Regis Francorum & Nauarræ, conseruatione dictæ urbis sub ditione & protectione dicti Domini nostri Regis, ac pro quàmpluribus alijs rebus ad Acade-

miam

miam ſpectantibus, atquè ſuper ſupplicatione facta à D. & Magiſtro Laurentio Bourceret artium Doctore de vocandis in ius Ieſuitis, ut omnino eijciantur.

Dicta Vniuerſitas debitè, ut moris eſt, hora ſolita conuocata, ex conſenſu unanimi, omnium Doctorum & Magiſtrorum ſingularum quatuor facultatum, & quatuor Procuratorum nationum nemine repugnante, cenſuit & determinauit, eſſe annuendum ſupplicationi dicti D. Bourceret, ideoquè in iudicium & ius ritè & conuenienter Ieſuitas vocandos, ut eijciantur omnino. Eam ob rem cenſuit Vniuerſitas ex ſingulis Ordinibus nominandos aliquot ſelectos viros, qui ea diligenter curent, quæ ad litem contra Ieſuitas mouendam pertinent. Vnde facultas Theologorum nominauit D. Magiſtrum Adrianum d' Amboiſe ſummum Regiæ Nauarræ Moderatorem, & alium Doctorem quem dictus Doctor d' Amboiſe voluerit eligere. Facultas Decretorum quæ acta ſunt approbauit: & quia unicus tantum Doctor nomine D. Dauidſon aderat, promiſit ſe nominaturum aliquem alium ex ſuis Doctoribus. Facultas autem Medicorum ordinauit D. & Magiſtrum Iacobum Couſinot. Poſtremò Facultas artium nominauit dictum Magiſtrum Bourceret, & D. Georgium Criton. Sicquè ſtatutum fuit unanimiter, & concluſum nemine reclamante per D. Iacobum d' Amboiſe Academiæ Rectorem, totamquè Academiam. Anno & die præfatis. *Ita ſi-*

L *gnatum*

gnatum, DVVAL. & ad latus, visa per nos Rectorem Iacobum d'Amboise. *& munita sigillo cera rubra.*

LIBELLVS SVPPLEX ACADEMIÆ AD EOSDEM FINES PERTINENS.

Dominis nostris Curiæ Parlamenti.

SVPPLICES rogant humiliter Rector, Decani & facultates, procuratores nationum, suppositi, & scholares Parisiensis Academiæ, dicentes iam inde à longo tempore se apud Curiam conquestos esse causa magnæ perturbationis Academiam ipsam ingressæ per quandam Sectam nouam, quæ ortum suum tám in Hispania quàm locis circumstantibus habuit, ambitiosam qualitatem societatis nominis IESV assumens sibi: quæ omni tempore, præsertim verò ex quo postremi tumultus extiterunt, se ipsa adiecit totam partibus & inseruiuit factioni Hispanicæ, ad publici status desolationem tùm in hac Parisiensi urbe, tùm in toto Regno Galliæ & extra Regnum: quam rem, simul ac Secta hæc promota fuit, dicti supplicantes animo præuiderunt, & disertè præsignificauerunt,

runt; decreto facultatis Theologicæ per tempus illud interposito, quo docetur hanc nouam Sectam introductam esse ad infringendum omnem ordinem, tàm politicum, quàm hierarchicum Ecclesiæ, atque adeo nominatim ipsius Academiæ; recusantem obsequi Rectori, atque etiam Archiepiscopis, Episcopis, Cu[illegible]onibus, & alijs Superioribus in Ecclesia constitutis, [illegible]c suppositos quidem dictæ prætensæ societatis Iesu iam ante triginta annos, quo tempore nondum venenum suum in omnes alias Gallici Regni urbes effuderant, sed in hac urbe solum, libellum snpplicem obtulisse, ut reciperentur in corpus dictæ Academiæ; Quæ causa quum cœpisset agi, consilium fuit constitutum, & mandatum ut res eodem in statu permanerent; quo significabatur nihil à Iesuitis institui posse in fraudem aut præiudicium Aresti illius; cui tamen rei non satisfecerunt, sed (quod amplius est) cum perniciosis suis consilijs negotia status publici permiscentes, nihil aliud præstiterunt, quàm ut administri & exploratores essent in hac nostra Gallia ad res Hispani promouendas, prout unicuique perspectum est; ea verò actio constituto consilio non fuit deinceps agitata, neque acta utrimque in litem comportata; qua ratione, instituta illa actio perempta est.

His expensis, Domini nostri Amplissimi, placeat vo-

 bis de-

bis decernere, ut ista Secta exterminetur, non solùm ex dicta Vniuersitate, sed etiam ex toto Regno Galliæ, atquè ad hanc rem adiungi ad postulatum nostrum Dominum procuratorem Generalem Re gis. Ita facturi estis quod æquum bonum est. Ita signatum *Le Royer*. & ad latus, *d'Amboise Academiæ Rector*. & munitum sigillo ex cera rubra.

FINIS.

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse R.mum Legatum haec verba: Habebant
Iesuitae pro suo favore sententiam: Si haec ita sunt
regnero iudicium. Neq[ue] enim decet sedem summam
ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux
Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae
atq[ue] lucis. Respectus ad personas quascunq[ue] aut fa
vores tenebras facit densissimas. Sciant autem toti mun
dum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi
Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clama
bunt. Unionem nobis ne Sanctus quidem Paulus per
suaserit, qui summus artes omnes Iesuiticas tam probe
quam septuagenarius aliquis Iesuita, aut eo plus. Re
velabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum il
lud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum converti.
Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est
Unum. Unitum multa continet. Lupus dum ovem
appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis
in suam hoc est lupi carnem converti. Mitto haec
Unum exemplar per occasionem tradet R.mo Legato.
Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN c CERE moniis

Si quid habes Iesu vita ne quam tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Grob
sa zdobi Bel[illegible]
pa p[illegible]
[illegible]
Mos Vide X [illegible]
napisal
lege in [illegible]
nota
[illegible] [illegible]
[illegible]